
BERARDINI ROTAE, VIRI PATRICII, CARMINA.

NVNC TANTVM AB IPSO EDITA.

ELEGIARVM *LIB. III.*
EPIGRAMMATVM *LIBER.*
SYLVARVM SEV Metamorphoseon *LIBER.*
Nænia, quæ nuncupatur PORTIA.



Cum facultate Superiorum.



NEAPOLI.
Apud Iosephum Cacchium
MD LXXII.

LECTORI.

Carmina, quæ non semel ab alijs, inscio authore edita, legisti, ecce ab ipso nunc demum demptis immutatisque plurimis legenda prodeunt.

AD VESPASIANVM

GONZAGAM NAVARIAE PROREGEM, ET EXERCITVS IMPERATOREM, BERARDINVS ROTA.



DVM populos GONZAGA regis, dum regna tueris,
Hac armis, illos lance, manuq; pari.
Quos et Iberus aquis, cingit quos caute Pyrene,
Quos & Cantabrici perluit vnda freti.
Magnis tot curis tantillum si datur oci
Ad scripta vt suesti nostra legenda redi.
Nec mirere nouum, nam frater Martis Apollo est;
Tu Dux, tu Vates inter vtrunque nites.

PAVLVS
MANVTIVS
AD BERARDINVM ROTAM.



Elix, cui licuit pleno bibere ore liquorem
Pegaseum, & magnis vatibus ire ducem.
Ingenium, nomenq; tuum, ROTA candide, et artes
Fama coloratos ducet ad Aethiopas,
Ducet & ad Morinos, Lelegas, pictosq; Gelonos,
Et quà Riphaeis nix iacet alta iugis,
Et quà Sol radijs rutilum caput exerit, & quà
Caeruleo labens conditur Oceano.
Seráque mors gelido cum clauserit ossa sepulcro,
Non tua Lethaeis nomina merget aquis.

* ij

DIONYSIVS
ATHANASIVS
AD LECTOREM.




N noua mutari quicunque haud corpora formas
Posse putas; vatem perlegat ille Rotam:
Inq; ipsum inueniet mutatos quatuor vnum,
Tecum Flacco Albi, te Valeri, atq; Maro.
Hisq; duos addet: te dulcis nempe Terenti,
Arbiter Etruscæ téq; Petrarca lyræ.
O mirum, & nulli credendum. corpore in vno
Illustres vna viuere sex animas.

AD PERAPHANVM RIBERAM PROREGEM NEAPOLITANVM, IN BERARDINI ROTAE, VIRI PATRICII

CARMINA.

DIONYSII ATHANASII PRAEFATIO.



OESIM, PERAPHANE princeps optime, siue ea sit ars, siue scientia, seu potius, ut sensisse uidetur Plato, res multo cæteris liberalibus disciplinis praestantior, atq; diuinior, quae illas omnes amplectens, illarum etiam omnium utilitates una hominibus praestet, & carminis, ac numerorum dulcedine mira animos iucũditate permulceat; uetustissimã esse et nobilissimam cum doctissimi uiri memoriae prodiderunt, tum ex literis sacris id liquidò & manifestè apparet. Ex his enim nouimus, sapientissimos illos, ac sanctissimos heroas, qui summum atq; immortalem Deum loquentem audire, eiusq; congressu frui meruere, & poëtas admodum claros extitisse, & ipsius Dei laudes, arcanaq; unigenae illius uerbi mysteria elegantissimis uersibus explicuisse. In quibus quidem

dem legendis neminem opinor tam immansuetũ, tam ferum, tam prorsus lapideum, ac ferreum inueniri, qui non intimis sensibus permoueatur, ac ab hisce terrenarum rerum cogitationibus ad cælestium, & opificis Dei contẽplationem non rapiatur. Poëtas igitur cũ dico, nõ eos intelligo, qui dum obscoenis suis carminibus diuino hoc poëtices munere abutuntur, iuuenum animos inquinant, nefarijsq; & flagitiosis appetitionibus imbuunt, quos & leges coërcent & ab urbe sua exclusisse Platonem crediderim; sed eos, qui non solum doctrinæ eruditione, & candore styli legentium ingenium acuunt, iudicium augent, & sermonem expoliunt; sed etiam uirtutis & probitatis à se laudatæ praeconio animum ad honestas, praeclarasq; actiones excitant, tum uerò innocentis uitae exemplo ad bene, beateq; uiuendum incendunt. Quales (ut Graecos, ueteresq; Latinos praeteream) fuere apud Hebreos ij, de quibus supra attigimus, & apud nostros nostra, patrumq; nostrum memoria Ioannes Pontanus, Iacobus Sannazarius, Petrus Bembus, Iacobus Sadoletus, Hieronymus Fracastorius, Hieronymus Vida, Marcus Antonius Flaminius, paucíq; alij non nulli. (Exiguus enim semper in omni æuo summorum poëtarũ numerus fuit.) Qui omnes quanto in pretio apud maximos principes fuerint, & ad quas dignitates, ad quos honoris

gradus

gradus pleriq; eorum fuerint euecti, notius est, quàm ut meo, aut cuiusquā egeat testimonio. In horum paucitate, si quis alius, mihi maximè dignus numerari uidetur Berardinus Rota, patricius non minus, quā poëta illustris. Is nāq; à pueritia animo, atq; ingenio præstās, et ad omnia uirtutum, & decorum genera propensus, cum alias optimarum artium disciplinas excoluit, tum uerò poëticis studijs ita et natura, et iuditio est delectatus, ut quā in ijs laudē cæteri extrema in senectute uix cōsequuntur, eam ipse intra primum iuuentutis limē cum maxima sui nominis celebritate sit adeptus. Etenim id ætatis, cum grauissimis interim curis distineretur, et parum cōmoda ualetudine uteretur, uarijsq; peteretur ingruētis fortunæ telis, immortalis, cælestisq; ingenij ui aduersa omnia superāte, maiorē pœmatum suorum partem confecit. confecit autem plurima, eaq; ita elegāter, ita luculenter, ita suauiter, ut musis, & Apolline dictantibus excepisse uideatur. Quod uerò admirationem auget, scripsit uno, eodemq; tempore tum Latina, tum Etrusca lingua, sic, ut, cum utraq; excellat, dubium sit, utra magis polleat. Sed de Etruscis Rotae carminibus, cū ea ederemus, aperuimus sententiam nostram in praefatione ad Io. Hieronymum Aquiuiuium, Adriae Ducem. Nunc quid de Latinis sentiamus, dicere non alienum existimaui. Ac mihi quidem in

Rotae

Rotæ omnis generis poëmata intuenti, haud satis liquet, in quibus ille magis emineat: adeo sese in unoquoq; perfectum, atq; omnibus eloquentiæ numeris absolutum ostẽdit. Et ut ab elegis initium faciamus, in his ipse cum se totum ad Tibulli imitationem contulerit, ita & uerborum delectu, & numerorum lenitate, & aptè uagandi ratione, & integri, ac perpetui fili ductu, eius imaginem effinxit; ut cum eum legas Tibullum alterum legere uideare. In epigrammatis autem, præter inuentionem minimè uulgarem, & dictionem eius cultus plenam, quem Marullus in hoc genere carminis nulli adhuc Latinorum contigisse teste Rhallo professus est; quis collectam, & rotundam breuitatem nõ amet? quis spicula, & sales, quibus exacuuntur, non probet? & optimis quibusq; cum recentium, tum ueterũ conferat dicam, an præferat? Insurgit sæpe, cum principum optimorum, & clarißimorum ducum laudes, & res gestas decantat, sic, ut in epigrammate quandam prae se heroicae grauitatis speciem ferat. Porrò in ijs uersibus, qui nomen a sylla barum numero accepere, an horum temporum quispiam cum Berardino Rota congredi audebit? cuius hendecasyllabi ita salsi, ita lepidi, ita uenusti, ita eruditi sunt, ut cui iuditium non desit, cum Catullianis, & siqui Catullianis magis probantur, certare, & palmam dubiam facere, ne

dicam auferre uideantur. In lyricis uerò, quanquã Sapphico magis quàm alio genere sit oblectatus, purus in primis & tersus est, plenusq́; Horatianæ illius iucunditatis & gratiæ, tum uarijs floribus renidẽs, & opportunis in locis pulcherrimis figuris ornatus. Quòd autem ad syluas, seu metamorphoses, hoc est, ad uersus heroicos attinet; in his quidẽ Rota spiritus poëtici alis sublatus adeo sese in altum attollit, ut qui ad Maronis sublimitatem propius accedat, neminẽ uideã. at fabulæ, quæ in his cõtinentur, Dij boni quàm sunt appositæ, & rei, quã describit, cõuenientes: ut non ab eo inuentæ, sed è medio uetustatis erutae uideri poßint Iam uerò in uniuersum qualis, quantusq́; est? Quis enim in inueniendo acutior, recentior, locupletior? Quis in constituendo cõpositior, aptior, accõmodatior? Quis in eloquendo luculentior, splendidior, illustrior? Nonne semper aliquid nouum, ac prius nõ auditum, acutißimo illo ingenio suo adinuenit; inuentum, quæ eius artis & iudicij uirtus est, appositißimè instituit; institutum diuina, qua, quicquid uult potest, facundia elegãtißimè, & felicissimè eloquitur? Numerorum certè ea uarietas est, id artificium, is concentus, ut legentium animi insolita suauitate perfusi, omni se sentiant dulcedine liquefieri. Quid dicam de decore rerum, personarum, temporum, & locorum seruando? in quo Rota adeo & perspicax &

uigilans est, ut nihil quicquam ne criticis quidem relinquat, quod desiderari, aut reprehendi meritò queat. In affectibus, ut de Euripide inquit Fabius, cum omnibus mirus, tum in ijs, qui cõmiseratione constãt, facilè præcipuus, & admirandus maximè est: quemadmodum nullo negotio & cognoscere poterunt, & experiri quicũque eos uersus legerint, quibus Portiam Capiciam coniugem, foeminam nobilißimam, pudicißimã, pulcherrimã, atq; omni ex parte lectißimam, importuna morte ereptam miserè, & insolabiliter deflet: quibusq; & quamplurimis alijs, quos in eius uita & Latinè, & Etruscè conscripserat, illam, quam uiuam, & mortuam unicè dilexit, & diligit, merita immortalitate donauit. Illud minimè prætermittendum, quòd, cũ Rota sui natura semper in sublime feratur, tamen relaxandi animi causa, demittit sese aliquando, descenditq; ad conuiuia cum æqualibus celebranda, & amores cantandos: ea tamen adhibita moderatione, ut in lusibus etiam & mollioribus iocis nihil unquam obscenum, nihil scurrile, nihil sordidum, nihil ciuili, temperatoq; homine indignum effutiat: sed semper sui, hoc est, honestatis, memor, omnia plena pudoris, plena uerecundiæ, plena grauitatis et dignitatis enunciet. Sed nec silentio praeterundum, (quod in primis dicendum fuit) Berardino Rota neminem magis piè Deum colere, neminem

principibus

principibus maiorem obseruantiã exhibere, neminem patriam charitate ardentiùs prosequi, neminem propinquos uehementiùs adamare, neminem in amicos & fide & officijs constantiorem esse, neminem in omnes humaniorem, & pro facultatibus suis magis beneficum. Verum ne singulas huius poëtae laudes, quod longissimum esset, persequi uelle uideamur; hoc uno tantum addito, locum concludemus, Berardini Rotae carminibus, doctorum, & bonorum omnium cõsensu, nihil esse perfectius, exactius, absolutius: itaq; illi quàm paucissimos cõparari posse, neminem anteponi debere. Huiusmodi ego poemata in lucem emissurus cum essem, cum mea quidem sponte, rei praestantia motus, tum uerò impulsus hortatu Dominici Venerij, clarissimi, & doctissimi uiri, qui, ut est ingeniorum aestimator acerrimus, & poetarum summus & ipse poëta aequissimus & candidissimus iudex, sic solet Rotae poemata laudare, ut admiretur; sicq; admirari, ut quasi stupere in illis uideatur; non ab re me facturum putaui, Peraphane princeps optime, & praestantissime, si quò gratiora omnibus forent, auidiusq; ab omnibus legerentur, tui nominis inscriptione ornarem, & ueluti noua ac diuina quadam luce illustrarem: quando quidem in te uno omnia ea ornamenta posita esse conspiciuntur, quae uel ad bonorum gra-

tiam promerendam, uel ad obtrectatorũ audaciã retundendam plurimum ualere cõsueuerunt. Primùm enim, si nobilitatem spectemus; eo es genere natus, ijs imaginibus clarus, ea est auitae ditionis latitudo, is gentilicius opum, atq; diuitiarum splendor, ut ne ipsis quidem regibus facilè hac in parte concedas. Si uerò hisce, magnis licet & pulchris, relictis, ornamenta tua, & propria cõsideranda suscipiamus; cum ea longè maiora, & pulchriora esse inueniemus, tum longè plus in te uirtutis, quàm fortunae, aut naturae inesse, dijudicabimus. Vtq; nõ laudes quidem tuas recenseam (nam eae, sicut immensae sunt, & propè infinitae, sic amplius theatrum requirunt) sed quaedam quasi capita laudum tuarum aperiam, atq; ab ea uirtute, quae uirtutum omnium est procreatrix, & domina, incipiam; quis tui ordinis est non modo in Italia, atq; Hispania, sed in uniuersa Europa, qui Christianae religionis & uerae in Deum pietatis obseruantia sit cum PERAPHANO RIBERA *conferendus? qui non modo es illius cultor aßiduus, sed etiam assertor, & uindex: qui* PHILIPPVM AVSTRIVM *imitatus, regem post hominum memoriã maximum, & religiosissimum (apud quem cum alijs multis, iustißimisq; de causis, tum hoc potißimum nomine tantum & gratia & auctoritate uales, ut ille te & regiam ipsius personã in isto nobilissimo, atque opulentissimo*

ſimo Neapolitano regno ſuſtinere uoluerit, & ſuum in Italia legatũ, & ſuorum exercituum imperatorem conſtituerit) omni tuo ſtudio, cogitatione, diligentia in eam curã dies, noctesq́; incumbis, ut in populis fidei tuae cõmiſsis Chriſti Dei fidem ab omni labe puram, integramq́; conſerues. Nam quod attinet ad illam excellentiſsimã uirtutem iuſtitiam, in qua nõ ſolum, quod Theognis ait, caeterae uirtutes omnes continentur, ſed eius etiam regula tanquam aurum Lydio lapide comprobantur; eam tu ita perpetuo tenore, incredibiliq́; conſtantia ſemper tutatus es, hodieq́; tutaris, ut iam omnibus pateat, in ea ſummum eſſe bonis perfugium; malis certum exitium conſtitutum: cuius quidem uirtutis legibus obſeruandis, muneribusq́; perfungendis tantum apud omnes reuerẽtiae et uenerationis es conſequutus, ut nemo ſit non modo qui abs te quicquam praeter aequum, & fas, impetraturum ſe ſperet, ſed iam ne petere quidem audeat. Nec tamen iuſtitiã ita ſeuerè unquã ſectatus es, ut clemẽtiae ſis oblitus, ſed ſemper in ſumma iuſtitia clemẽtiam ſummã adhibueris. Nouam uerò illam uni tibi cognitã, incognitam cateris regendorum populorum rationem, quam iniſti pro illorum pace, quiete, incolumitate, & felicitate paranda, atq́; tuenda, quisnam aut ſine ſumma admiratione cõtemplari, aut non ſummis laudibus extollere in cælum

poteſt

potest? cum id consequi uideat, quod contendas. Nunc de rei militaris scientia locuturo innumera mihi clarissimarum rerum à te gestarum exẽpla dicenda se offerunt, sed ego uno tantum egregio, & singulari contentus ero, nempe admirabili illo, & plusquàm celeri Orani subsidio: cum tu sedens, & tanto cæli, terræ, ac maris interuallo disiunctus, acerrima mentis tuæ prouidentia, consilio, ingenio, nutu, noua, atq; inusitata celeritate usus oppido illi, quod Christianorum in Africa est propugnaculum, tempore subuenisti, miserrimaq; illud fame, quam ferre diutius non poterat, & grauissima, quæ premebatur, obsidione liberasti, hostili exercitu gloriosissimè fuso, & profligato. Quod insigne, & præclarum facinus illustribus factis tuis tantam addidit lucem & claritatem, ut cætera ante à te gesta humano ingenio, & humanis uiribus geri potuisse uiderentur, unum id nunquam nisi cælesti spiritu, & diuina uirtute confici potuisse sit existimatum. Itaq; rectè Rota in extremo illo pulcherrimo ea de re conscripto epigrammate.

Quis te igitur poterit mortalem dicere? cum sis
Hoc etiam magno proximus ipse Ioui?

Præterea est in te excelsi, atq; inuicti animi magnitudo incomparabilis: est admirabilis constantia: abstinentia uerò & continentia non horum temporum, aut morum. Tanta insuper humani

tate

tate,& facilitate, tanta item patientia & benignitate uteris in populorum postulatis audiēdis, ut quemadmodum nemini unquam ad te eunti aditus est interclusus; sic nemo unquam à te discedens tristiore uultu sit uisus. Iam liberalitate,& beneficentia ita impensè delectaris, ut omnes, qui ante te idem istic imperium administrarunt, longo post te relinqueris interuallo: & quanquam plurimum potes,& plurima cōfers; omnes tamen intelligunt, te plus conferre,& benefacere omnibus uelle, quàm possis. Es tu quidē splendidus,& magnificus, non ad ostentationem, & superuacuum quendā cultum, ut multos tuae classis saepe uidimus, sed ad domesticum splendorem tantum, & personae tuae, et regis, quem refers, amplitudinē, & maiestatē cum dignitate retinendam. Eximiam uerò istam tuam in uiros doctos,& studijs nobilium artium claros uoluntatis propensionem tacere qui possum? quam cum in compluribus alijs, tum uerò in Berardino Rota maximè declarasti; siquidem illum ob ingenij praestantiā, & in poëticis studijs elegantiā, aliarumq; uirtutum excellentiā tanti facis, tamq; carum, & familiarē habes, ut nec Terentiū Laelius, et Scipio, nec Horat. et Virg. Mecoenas, et Augustus pluris fecerint, aut cariores habuerīt, et magis familiares. Haec sunt Peraphane, princeps optime, & sapiētissime, illa laudū tuarū capita, nō oīa, sed pracipua, quae cōstātis famae pradicatione audita, &

probatißimorum hominum testimonio perspecta & cognita, hic commemorare uisum fuit, non ut hac laudatione gratiam tuam aucuparer, cuius tamen alioqui sum cupidißimus; sed ut omnibus planum facerem, quàm iure & meritò aureum hunc Rotæ libellũ tibi dicauerim, qualemq́; quantumq́; illi, quibusq́; artibus instructum, quibusq́; insignem uirtutibus patronũ quæsierim. Sed nec defuerunt aliæ etiam causae, quæ me, ut hoc facerem, impulerunt. Ex quibus illa non leuis, quòd cum scirem, Berardinũ Rotam, te instar terreni cuiusdã numinis piè ac sanctè colere, & uenerari; uerißimarumq́;, atq; amplißimarum laudum tuarum laudatißimum, indefessumq́; esse praeconem, quarum quidẽ laudum pars nõ poenitenda in hoc ipso libello cõtineretur; neminem uidebam, cui rectius et decentius, quàm tibi, deberet inscribi. Nunc reliquũ est, ut eo uultu, eoq́; animo Rotae poëmata accipias, & cõplectare, quo uultu & quo animo Rotam ipsum accipere, atq́; amplexari soles: easdem suauitates in eius carminibus & stylo inuenturus, quas in moribus, & uitae cõsuetudine quotidie sentis, & experiris. Dionysium uerò Athanasium (si qua ratio habenda mei sit, quãdo ego me tibi, quãtulus, & qualiscunq; sum, iampridem totum addixi) in eorum numero, qui tui sunt studiosiores, tibiq́; magis ex animo fausta omnia, felicia, prosperaq́; precantur, habere nõ dedigneris.

BERARDINI ROTAE VIRI PATRICII ELEGIARVM

LIBER PRIMVS.

ELEGIA I.

PARCITE, vera loquor, iuuenem quis damnet aman-
Quippe senex animus, charta puella fuit. (tem?
Lusimus, haud vacui venturo scripsimus æuo:
Iactari rerum turbine iussit Amor.
Vidi ego cum flerem vicini ad litoris oram,
Flectier hinc scopulos, flectier hincq; fretum.
Tu, nimbosa tamen ceu spernens flamina cautes,
Surdior es scopulis, surdior vna freto.
Una Nigella mei dulcissima causa furoris,
Una mihi ingenium, carmen & vna mihi.
Et si sæpe solet lacrymis Cytherea fauere,
Nec leue amatorum pondus inest lacrymis.
Oenones gemitu Phrygius plorauit adulter,
Fleuit & Aesonides, dum gemit Hypsipyle.
Sæpe Anchisiades fletu commotus Elisæ
Tentauit magni spernere iussa Iouis:
Ac sine me, dixit, Troianæ abscedite puppes,
I, pete macte puer debita regna tibi:
Sit tua Tarpei fatalis gloria collis,
Sint spolia, & quicquid Roma futura parat:

Mi sat erit Tyriæ tantùm seruire puellæ;
Non tanti faciam Iuppiter astra tua.
Quid nequeunt gemitus? fletu testudinis Orpheus
Fregit Tartareæ ferrea claustra domus.
Tunc ad Threicios numeros sua saxa reliquit
Sisyphus, & refugas Tantalus hausit aquas.
Tunc oblita sui fixo rota constitit axe,
Pendula tunc terror desijt esse silex.
Solus ego incassum queror, incassúmque peruror,
Et solùm nostros spernit Amor gemitus.
Nec tantum vndarum centum trahit amnibus auctus
Eridanus, latis cùm furit imber agris;
Quantum fuderunt lacrymarum lumina nostra,
Ex quo me tristi turbine iactat Amor.
Nec tantum flammis feruet Trinacria rupes,
Aestuat aut medijs fluctibus Inarime;
Quanto curarum flagrauit pectus ab æstu,
Ex quo dire puer bella secunda paras.
Dire puer cur bella moues? quæue ira lacessit?
An forte hæc eadem, quæ mea, flamma tua est?
Pone metum, quando laceri sum corporis umbra,
Vna puella tuus victa triumphus erit.
Sum cinis ecquid agis? cineri quæ pœna sepulto?
Non ego, crede mihi qui noua bella feram.
Vmbra sumus, nullos tenuis dabit vmbra triumphos;
Vmbra sumus, nihil est, quod modo corpus erat.

ELEGIA II.

BElla sequar, galeáque tegar, gladióque minaci
Cingar, iò manibus Martia tela date.

Hoc

Hoc iuuat, hostili non sum qui terrear ense:
Mollis amans didici vulnera dura pati.
Frigora iam didici, didici iam ferre calores,
Ducere nunc noctes, nunc sine pace dies.
Sunt ijdem Veneris comites, sunt Martis & ijdem
Rixa, timor, letum, bella, pericla, furor.
Quàm iuuat obscura radiantes nocte cohortes
Cernere, & insueta tendere ab arte dolos.
Mox manibus conferre manus, fatúmque ciere,
Ac victo exuuias hoste referre domum.
Huc veniat mea vita, leues comitentur Amores:
Digna est, quam nunquam deserat ipsa Venus.
Ipsa Venus nemore Idalio persæpe choreas
Edocuit, nitidas disposuítque comas,
Castra amet, intactas fama est bellasse puellas,
Testatur certa Penthesilea fide.
Clangorémque tubæ, currúsque audire ruentes
Gestiat, & tremula tympana pulsa manu.
Ediscat gestare ensem, clypeúmque sudémque,
Atque graui lassos ære leuare humeros.
Vna ministret aquam, cùm findit Sirius agros:
Vna ignem properet, cum riget acris hyems.
Sic mihi vel duri sint cara incommoda Martis,
Sic mihi nulla feræ tædia militiæ.
Hæc eadem bello Martem comitata solebat
Sedula, mirus amor, munia obire Venus.
Nec puduit liquisse polum, terrisque negasse
Lumina, non vlla deperitura die.
Sola ibat, non curæ illi Charitésue, iociue:
Unus adest matris semper Amor lateri.

Ah Venus ecquid agis? posthac quis numen adoret?
Quò tua forma potens, quò tua regna Paphos?
Iam galea tenues potes ò fregisse capillos,
Iam ferro teneras lædere sæua manus.
Et tamen una audes, medijs dum certat in armis,
Eripere armato tela cruenta Deo.
Te non bella decent atro perfusa cruore,
Non tuba, non rapido concita rixa pede.
Te bona pax, cantusq; hilares, citharaq; choriq;
Téq; decent blandi prælia grata tori.
Quid moror? arma iuuant, iuuenem iam castra sequentem
Admoneant clari sátq; superq; patres.
Admoneant fratres pulchra modo cæde perempti,
Orbatæ fratres lumina cara domus.
Felices nimium fratres, quibus atra refulsit
Summa dies, lucro mors quibus ipsa fuit.
Pro patrijs cecidisse focis quid dulcius? aut quid
Pulchrius? hæc magnis gloria digna viris.
Ibimus, ò mecum doctæ properate sorores,
Ibimus, hæc chartas, hæc ferat arma manus.

ELEGIA III.

Ad Alfonsum Rotam fratrem
Iani Calendæ.

SVbtrahe te paulum magnarum pondere rerum
Mi Rota, dum patrios perlegis ipse iocos.
Ianus adest festa præ- inctus tempora lauru:
Adde puer nigris arida ligna focis.

Pendula

Pendula Acidalios effundat citrus odores,
Antiquo crepitet laurus adusta lari.
Ianus lætitiæ largus dator, & nouus anni
Nuntius, ut prisci iam coluistis aui.
Annua felici discurrunt munera pompa,
Munera concordis pignus amicitiæ.
Hac veniunt pictis bellaria sparsa canistris,
Hac liba attritæ melle recocta nucis.
Parte alia Hesperios longè superantia ramos
Seruata inuitis aurea poma Notis.
Hinc salit agrestis Nympharum turba canentum,
Ordine quas vario pensile tardat onus.
Hæc sale duratæ dono fert terga ferinæ,
Hæc fert vimineis lactea frusta casis.
Hæc modo decerptas spoliatis vitibus vuas,
E quibus optares nectere Bacche comas.
Hæc gerit arbuteos corallia rustica fœtus,
Illa hædum, hæc turdos, hæc sine teste capum.
Hæc mala Auroræ roseos imitantia vultus,
Appius & quæ olim, quæ Deciúsue dedit,
Villica pellit humum pedibus, corpúsque reflectit,
Dum strepit imparibus tibia carminibus.
Cuncta hilari circùm responsant compita plausu,
Syluestres iterat fistula curua modos.
Crederet, hæc si quis spectacula forte videret,
Turrigeræ fieri sacra cruenta Deæ.
Hinc pueri exercent choreas, currúntq; per vrbem,
Pinifera hinc pulsant limina amica manu.
Alternisque canunt domino bona verba precantes,
Missáque de tectis æra minuta ferunt.

Sit

Sit dominus, clamant, diues; sit coniuge felix,
Et videat prolis semina longa suæ.
Candida cui niteat lux hæc, cui candidus annus
Adueniat fausto, mox redeátque pede.
Iane pater, lætis primus tu festa Calendis
Diceris, & ritus instituisse nouos.
Nam cùm forte tuas sata Tybride Nympha medullas
Ureret, & tristi seruitio premeret,
Non puduit (licet ipse aris, templóque verendus,
Ac geminum inficeret cana senecta caput)
Sæpius errantem patris prope litora Nympham
Nequicquam assidua sollicitasse prece.
Ah miser, ah quoties pigro cita flumina cursu
Sunt visa ad gemitus sistere Iane tuos.
Ah miser, ah quoties muscoso Naiades antro
Duxere inscriptis tristia verba notis.
Quinetiam perhibent mæstas iterasse querelas
Rustica ab arboreis numina corticibus.
Ast ubi iam lacrymæ duram nequiere puellam
Flectere, tunc alia parte requiris opem.
Muneribus tentare paras, quid munere maius?
Debetur paruis gratia muneribus.
Iam capitur, iam capta tuo blanditur amori,
Iámque fouet gelidum blanda puella senem.
Hinc venit antiquus mittendi muneris vsus,
Mutuus hinc paruo munere partus amor.
At mihi quidue vsus prodest? quid munera prosunt?
Mollitur nulla dura Nigella prece.
Mors superest, moriamur, habet mors gaudia certa,
Quæ valet æterno demere vincla iugo.

Elegia

ELEGIA IIII.

DEsine venantem toties te credere syluis:
Sylua quoque insidijs non caret ipsa suis.
Desine vita nouo miserum torquere periclo:
Si viuam, fies carmine nota meo.
Rapta Elis ah nuper nocuit formosa videri,
Heu nocitura nimis dona beata Deûm.
Namq; vagas linquens comites, dum se tulit vltra,
Optatam vitrei quærit, & amnis aquam;
Vicinósque petit saltus, syluásque virentes,
Saltibus, & syluis plurimus ardor erat,
Lucidulifontis quæsitam repperit vndam,
Quæ leuiter circùm gramina picta salit:
Dúmque stupet, speculóque imi se prospicit amnis,
Fons calet, & blando murmure flagrat aqua.
Ast vbi tentat eam haurire, & iam bracchia tendit,
Brachia tendentem nescio quis retinet.
Tum Nympha incassum socias compellat, at vna
Eriphyla accurrit cara Elis Eriphylæ.
Vna adit: at postquàm circùm nemus omne pererrat,
Nec datur hanc vsquam cernere, clamat Elin,
Clamat Elin, nemus omne & Elin, vallésque supinæ
Dant Elin, ingeminat fons Elin, antra & Elin.
At si furta parum hæc terrent, succurrat Adonis,
Et madidus multo sanguine dirus aper.
Dum ferit ille feras, nemorosáque lustra recursat,
Fata sibi, & Veneri quot peperit lacrymas?
Audeat hæc fortis venator comminus, vni
Sat tibi sit vigilem fallere posse gruem.

Sat tibi ferre humeris calamos, contextáque lina:
Non bene cum tenera copula dura manu.
Intereà quæcunque tuo fera concidet ictu,
Non cadet, at viuet quæ tibi cæsa cadet.

ELEGIA V.

Ad Nicolaum Ant. Brancacium.

Brancaci nostræ dulcissime nate sororis,
Brancaci Idaliæ pars bona militiæ,
Dum querimur, tectósque animi tibi pandimus æstus,
Da lacrymas, lacrymis digna querela tuis.
Nulla vel infidæ retrahat te cura puellæ:
Quid tibi cum Fausta? perfida Fausta tua est.
Castus amor meus est, casto sit testis amanti,
Quem retinet firma copula vincta fide.
Ite procul, sanctos quos iuuit fallere amores,
Rumpere quos pretio mutua vincla malo.
Roma tenet, iuueníque Venus nec parcit alumno:
Ipsa sua regnat sæuior vrbe Deá.
Siue ego Tarpei superem fastigia cliui,
Seu Caci interdum tecta profana petam,
Siue Euandrei sacrata palatia collis,
Seu visam claris culta theatra viris;
Vna mihi ante oculos semper versatur imago,
Vna mihi Roma est, vnáque cuncta refert.
Hinc mihi mille faces blandi iaculantur ocelli,
Hinc tendunt nitidæ retia mille comæ.
Credebam patrio cælo, laribúsque relictis,

Téque

Téque mei in primis causa Nigella mali,
Posse vel immiti paulum indulgere dolori,
Posse vel aufugiens tanta leuare mala.
Et tamen vsque Amor insequitur, tamen vsque caden-(tem
Saeua premis, nullum profugiúmue datur.
Nusquam parta quies, nusquam pax tuta reperta est:
Terras, non mentem transfuga mutat amans.
Te quoque sperabam, postquàm noua sacra peregi,
Placari votis Cypria surda meis:
Sperabam, sed vana diu spes lusit amantem,
Dura magis quando sentio regna tua.
Nónne illa es, Phrygio quae nescis parcere nato?
Nónne trucis medijs fluctibus orta maris?
Parce Dea immeriti tandem miserere, quid urges?
Parce rogo, ah victo quis nocuisse velit?
Ipse ego, qui primis tua castra secutus ab annis,
Ipse ego qui regni gloria magna tui.
Et si non Parijs posui tibi templa columnis,
Nec colui sanctos thuris honore focos;
At tibi sede mei secreta pectoris aras
Erexi, & potui sacra parare noua.
Non iam farre pio, non extis rite perustis,
Accensa puro non vel ab igne face;
Sed lacrymis, imo manant quae pectore, sed qui
Profluit é nostris sanguine visceribus:
Sed flamma aeternùm vigili. aeternúmque perenni,
Cui possit merito cedere Vesta tua.
Te maiora manent dignam maioribus ausis,
Te decet inuicto bella mouere polo.

Sentiat ipsa tui letalia spicula nati
   Turba Deûm, dominæ seruiat vna tibi.
Percurrat rursus Peneïa flumina Phœbus,
   Discat & Admeti pascere rursus oues.
Discat & æthereas inuitus Iuppiter arces
   Linquere, mox medio mugiat ipse salo.
Coge iterum positis Martem mitescere telis,
   Coge rudi Alciden ducere pensa manu.
Desine iam in cineres posthac sæuire sepultos,
   Non sum præda satis nomine digna tuo.
Si tamen omnino pereundum, si fuga nusquam est,
   Me coram domina flente perire iuuet.
Vna suprema pio persoluat funera fletu,
   Dicat & hæc scissis ad mea busta comis.
Castus amor, nostri castissima flamma poetæ,
   Dignus erat longùm viuere, & igne pari.

ELEGIA VI.

Ad Antonium Epicurum.

QVæris vt Herculeæ fatum lacrymabile Nymphæ
   Sit noua nunc chartis fabula picta meis.
Est Epicure nefas tam cari iussa sodalis
   Spernere, sancta iubet lex ita amicitiæ.
Te duce virgineis prima ora admouimus vndis,
   Vidimus & sacrum relligione nemus.
Te duce Castalium pueri penetrauimus antrum,
   Cœpimus & tenuis tangere fila lyræ.
Hercullana olim Sebethi filia, qua non
   Et forma, & cantu dignior vlla fuit.

Cui Falcona oculis cedebat, non tamen Aegla,
Cedebat cultis Antiniana comis.
Non illi Venus est curæ, non curæ Hymenæi,
Læta sat intacta virginitate frui.
Tantùm hami, calamiq; iuuant, contextáq; tantùm
Lina placent, & quæ litus & vnda parat.
Sæpe olim Rex ipse sali miratus euntem est,
Et medijs hæsit penè perustus aquis.
Ah quoties vitreo Proteus miseratus ab antro,
E quo certa Deus dicere fata solet,
Sebethe en video male cautæ funera natæ
Dixit, habet cupidos terra fretúmq; Deos.
Forte aderat tauros perducens victor Iberos
Alcides nostris aduena litoribus:
Vidit, & insuetos imis bibit oßibus ignes:
Mox Nympham hæc tremula voce locutus adit.
Quem fugis? ah me Nympha fugis? quem iussa nouercæ
Fecere inuicti nomen habere Dei.
Alcides Ioue natus amat, Iouis vnica cura,
Sed mihi quidue Dei nomina quidue patris?
Quid poßim scit terra, sciunt quoq; Tartara: nulla est,
Quæ non victrices senserit ora manus,
His domitus superas Stygius canis horruit auras,
His aper, his cæsus tegmina nostra leo.
Non alijs iacuit taurus, draco concidit armis,
Non madidam Cacus sanguine fecit humum.
Quid matrem Antæo, diræ quid profuit Hydræ
Hercule septenum vindice habere caput?
Quid tibi tot variæ male fide Acheloë figuræ?
Quid tibi veloces Nesse proterue pedes?

Me pressi sensere angues, nouere subacta
Fortia pastoris corpora tergemini.
Num barbam impexam, vultus num forte minaces
Horrescis? num quòd claua cruenta manu est?
Talem olim innumeræ felici ardore puellæ
Nolentem blando detinuere sinu.
Talis eram, cum Iole nostro flagrabat amore.
Déque mea questa est Deĭanira fide.
Sunt tua quæ pascunt latos armenta per agros,
Præda etiam prædæ ductor & ipse tua est.
Dixerat. at subito conchis male tuta legendis
Propter aquas tremulo poplite Nympha fugit:
Atq; ait, affer opem pater ò Neptune petenti:
Dúmque ait affer opem, comprimit ora rigor.
Saxea crure tenus iam fit, pars fronde suprema
Obtegitur, media est flore adoperta nouo.
Fleuit amans, fleuit natam Sebethus ademptam,
Fertur & in fluuium tunc àbijsse pater.
Tum Deus hæc lacrymans silici ter vt oscula fixit,
Oscula térque intus mota silex refugit.
Hercullana meo dicêris nomine villa,
Villa eris vrbanis anteferenda locis.
Te circum gratis decoret mea populus vmbris,
Pisce Tethys, multo candida lacte Pales:
Te semper teneræ cantu, choreisque puellæ
Exhilarent, Græco concelebréntque mero,
Te canat æstiuo defessus sole viator,
Te canat hybernum dum mare nauta legit:
Et dicant hilares longúm bona verba precati,
Herculis hæc villa est, Herculis ardor erat.

ELEGIA VII

Ad Nisam.

HVC Nisa, huc propera, sunt hic quoq; lustra ferarum
 Si mage sunt curæ retia, tela, canes.
Et si forte optas virides cum fontibus vmbras,
 Hic umbræ, hic liquido fons pede prata rigat.
Tuta licet leporésque agites, saltúsque pererres,
 Et lassa ardenti sidere membra leues.
Sed quid ego exoptem? non est tua digna latebris
 Forma, vel æternum vincere nata Iouem.
Non digna obscuris nitidissima lumina sylvis
 Non est hæc duris sentibus apta manus.
Nisa veni, mea Nisa veni, timor irritus omnis,
 Non ego sum qui te lustra per alta sequar.
In flammas, lacrymásque abij, penitúsque reliquit
 Spiritus, & pro me verba ministrat Amor.
Verba ministrat Amor, quæ possint flumina retro
 Vertere, & è medio vellere signa polo.
At si nulla meæ tangit te cura querelæ,
 Nec vis te patrijs reddere litoribus;
Redde animam, rapuere tui quam nuper ocelli,
 Vt sit mi saltem fas modo posse mori.
Vt tu iure mea lætissima morte triumphes,
 Etsi nec credam parcere te cineri.
Tunc ego vulneribus vel saucia, te sequar vmbra,
 Tum querar in tumulo de feritate tua.

ELEGIA VIII.

In obitu Martiæ Capiciæ.

Cùm se iam victam penitus Cytherea videret,
Martia sidereo frontis honore tuæ;
Indignata abijt, subitoq́; accensa furore
Sume, ait, arma puer: mater ad arma vocat.
Paret Amor, capit arma, volat: cecidere sed arma,
Egregium nitido vidit vt ore decus.
Tu legis, atque humeris aptans fugis ocyus aura:
Dúmque fugis saxo laberis icta caput.
Tum subito veniúntque rosæ, veniúntque hyacinthi,
Tinctáque purpureo sanguine terra viret.
Fleuit Amor, Paphiæ sociam fleuere sorores,
Hásque super tumulo composuere notas.
Occidit vna patris dolor, vna Capicia matris,
Occidit æternus coniugis vna dolor.
At quicunq; Dei posthac fera spicula vitas,
Ne timeas, tumulo spicula fracta iacent.

ELEGIA VIIII.

Ad Hippolytum Capilupum.

Roma vale, ò tandem Romanæ cedite curæ,
Deliciæ Phœbi mi Capilupe vale.
Rura petam iucunda Deis, queîs sæpe vel astris
Riuulus, & uilis carior herba fuit:
Testis & Amphrysus, testes sunt Latmia saxa,
Testis & Idæi pinea sylua iugi.

Roscia prata vocant, Mariana vireta reposcunt;
Tuque vocas vitrea Fucine dives aqua.
Tum mihi cura vagas volucres sit fallere visco,
Tum blanda celeres voce monere canes.
Tunc & mane nouo teneros decerpere flores,
Et fessa herboso membra leuare toro.
Interdumque animi fletu solabimur æstus,
Dum querulas Echo reddet amica notas.
Vos eritis fontes nostri vos antra doloris:
Vos testes Marso rura beata croco.
Tu quoque testis eris nostrorum conscia amorum
Laurus ab igne olim sæpe perusta meo:
Cuius sub viridi vacui cantauimus a vmbra,
Mouimus & geminæ fila pusilla lyræ.
Roma vale: regnata bono Mariana parenti
Iam tenet, & dominum Roscia vallis habet.
Hic mecum volucres, quæ per loca nota volatis,
Flebiliùs moestos ingeminate modos.
Vos quoque flere Venus docuit, nec parua fuistis
Sæpius Idalijs præda, decûsque Dei.
Tu disce in primis nostras Philomela querelas,
Crede mihi his poteris flere queríque magis.
Atque ò (quandoquidem potior nunc causa dolendi est)
Hæc mecum tristi carmina voce cane.
Túne Nigella fugis rapidis pernicior Euris?
Tu mihi siderea lucida luce magis?
Hic mecum arboreis paulum requiesce sub vmbris,
Dum sitit Icario feruida terra cane.
Ecquis sæuitiæ finis? quæ meta furori?
Vt peream, satis est luce carere tua.

Lux tua Tartareæ potis est dare lumina nocti,
Lux tua Cimmeriis Lucifer esse locis.
Etsi mi tenebris semper tenebrosior Orci es,
Etsi mi Stygiis noctibus atra mage es.
Num tepefacta tui spectatur flamma poëtæ?
Flamma vel extrema non peritura die.
Ah potius diræ prærumpant fila sorores,
Fila nigro uitæ stamine texta meæ;
Quàm vel tantillum noster deferueat æstus,
Quámue velim grato soluere vincla iugo.
Tu mihi curarum portus, lux vna tenebris,
Vltima flamma mihi es, primáq; flamma mihi es.

ELEGIARVM LIBER SECVNDVS.

ELEGIA I.

Ad Nigellam.

TE mihi sæpe olim memini iurasse Nigella,
Per Paphiámq; Deam, per Paphiúmq; Deum,
Nullo vnquam nostros læsuram tempore amores
Constanti fidei fœdere perpetuæ;
Nunquam vincla animi fracturam, solueret etsi
Vincla tui in cineres corporis atra dies.
Iurasti, sed verba tuis vix lapsa labellis
Huc illuc rapidi diripuere Noti.
Idcirco vereor pœnas te falsa daturam,
Læduntur læsa numina spreta fide.
Perfidiæ hæc pœna est mutata mente puellis,
Mutari vt videant ora fidémque simul.
Ut compti paruo canescant tempore crines,
Utq; ligustra cadant, diffugiántque rosæ.
Quin & torpentem linguam, rictúsque supinos,
Mirentúrque atras fronte, genisque notas.
Et modo quæ mendax peccauit dextera, eandem
Deuinctam inspectent ariditate noua.
Tam dirum iurare nefas, & fallere Diuos,
In primis numen sancta Erycina tuum.
Idq; est quod doleo, misero quid fiet amanti?
Purpureus niueo si cadet ore nitor.
Si caligantes cernam mea sidera ocellos,
Si videam canas aurea vincla comas,

Ah potius nox atra tegat mea lumina, quin &
Rumpite Dij vitæ dulcia fila mea,
Quàm bona tot spectem parua mutarier hora,
Quàm pereant nostri semina cara mali.
In me vnum exercete iras, haud digna puella est,
Cui cadat ante suum candida forma diem.
Quæ iam turpis anus primis spernatur in annis,
Cui fugiat nitidi luminis omne decus.
Ipse vel expendam sceleris pœnam, ipse piabo
Quicquid dira volunt soluere facta ream.
Impune huic liceat iurare, & fallere: mallem,
Quàm vel pauxillum mœreat illa, mori.
Parce Venus, te ipsam lædes, si lædere tentas,
Quæ læsit numen falsa Nigella tuum.

ELEGIA II.

Ad Saluatorem Rotam fratrem.

VEnisti tandem; reduci dare carmina fratri
Quis neget? Aoniæ dicite læta Deæ.
Faustinana prius festis operata choreis,
Rustica, sed domino munera grata paret.
Ipsa olus, ipsa epulas lætißima ponat inemptas,
Quásque alit in tenero gramine mactet oues.
Addat & his prædam merulas, turdósque coloni,
Quótque domi agrestis vernula nutrit aues.
Lenia vina prius, mox promat & acria quæúe
Rure premit, mittit quæúe Cirella mari.

Vtq; simul sacra celebrent noua gaudia lucis,
  Conuocet ad dulces numina amica dapes.
Porrigat ante omnes florentia serta Patulcis,
  Spargat odoratas Antiniana rosas;
Mergillina ferat conchas, det Nesis echinos,
  Pausilypus pictis ostrea tegminibus.
Aegle Nympharum pulcherrima, nobilis Aegle
  Ad numeros saltans carmina nostra canat.
Cinctus arundinea Sebethus cornua fronde
  Lucidulas blando murmure fundat aquas.
Hinc Resina paret lauros, hinc Portica myrtos,
  Barra vuas, largo sorba Cremana sinu.
Hinc fœtus Summa arbuteos, hinc Trochia ficus,
  Hinc Pollis cerasos, fragáque Fracta ferat.
Adsit pampinea redimitus vite Vesenus,
  Cui noua fumanti vertice flamma micet.
Túque ferens cum matre hoedum, cum prole columbam
  Populea flauas fronde reuincta comas,
Hercullana veni, lætæ gratare sorori,
  Ni retinent fati te monimenta tui.
Nam vaga Nympha olim, patrio nunc litore saxum,
  Ah nimis Alcidę te placuisse doles.
Mox ego contexta lectis de frondibus ara
  Hac signanda leui cortice verba canam:
Frater adest, grandi mihi sit pro munere carmen:
  Carmen amat, meritò carmine dignus erit.

ELEGIA VI.

QVò sine me mea vita erras? quæ lustra morantur?
  Tu formosa nimis, tu male cauta nimis.

Non secus, ac terras cum nox tegit atra tenebris,
Deuia per syluas sæpe vagatur ouis:
Audiri quæ dum sperat, nemus omne querelis
Implet, & oblitas itque reditque vias:
Donec balantis vocem lupus haurit, & alta
Nequicquam pastor rupe sedens queritur.
Scilicet haud tutò Satyris bona forma proteruis
Cernitur, & cupidis aurea Nympha Deis.
Turba rapax ruit in Venerem, pauidásque puellas,
Ut vides, vt flammas capta furore bibit.
Quin etiam cornu fugientes impetit, & mox
Setigera retinet turpis, inérsque manu.
Quid tibi cum syluis? syluæ mala sæpe tulere,
Haud est digna feris pulchra puella locis.
Exemplo infelix tibi sit Peneïa virgo,
Quæq; amor, & quæ mox Pan tibi canna fuit.
Quæq; feras agitans modo Nympha errabat, at eheu
Versa peragratis nunc fugit vrsa iugis.
Exemplo orbatæ longus Proserpina matris
Fletus, ab inferno præda petita Ioue.
Rapta subit tenebras, per prata virentia flores
Dum legit, ah quantum serta dedere mali.
Sed tibi si tantum cordi latebræ, nemus, vmbra,
Si tibi erunt tanti retia, lustra, feræ;
Ipse gerens amites humeris, & spicula dextra,
Decipiam volucres, conficiámque feras.
Ipse comes grati veniam pars magna laboris:
Elysium tecum Styx erit atra nemus.
Intereà Dea syluipotens, cui talia curæ,
Tuta sit auxilio fac mea Nympha tuo.

At si

At si rumor erit præter mea vota sinister,
Sit precor illa obitus nuntia fama mei.

ELEGIA IIII.

Ad Bacchum.

SI mihi dexter ades, faueas si Bacche pete nti,
Numine si fiant vota secunda tuo;
Non iuuenem te mente leuem, non corpore lentum
Effingam, capiti cornua nulla dabo:
Non te iam madidum musto, somnóque sepultum,
Iactantem ad cyathos turpia verba canam:
Non dicam vt potus soleas arcana referre:
Ut dubium titubans fersque, refersque pedem:
Sed clarum grauitate virum, sed casta loquentem
Te memorem egregia sæpe nitere toga.
Quin puræ sectator aquæ, quin desidis expers
Dicêris somni carmine Bacche meo.
Mox etiam cunctas narrabo ex ordine laudes
Quas peperit virtus bellica Marte tuo.
In primis referam nigris ut victor ab Indis
Ipse triumphali comptus honore redis:
Deuictásque vrbes recolam, populósque subactos,
Ductósque ad currum barbara vincla Duces:
Nec sileam forti diuulsum Penthea dextra,
Nec sileam exitium stulte Lycurge tuum.
His addam ætherei turbantem regna parentis
Te quoque terrificis Rhæte perempte modis.
Atque nouos Satyros vino thyrsóque furentes
Instituam binis ad tua sacra choris.

Non Ariadnææ iucunda incendia formæ
Prætercam socijs addita sideribus.
Vtq; frui possis æternùm coniuge cara,
Contra ipsam cælo te quoque constituam.
Si tantum vati liceat, si carmina tantum
Nostra valent, celeri carmina texta manu.
Mox sequar, vt semper quoquò vestigia vertis,
Te bona Pax, hilaris te comitetur Amor.
Vt lassis requies, mœstis vt dulce leuamen,
Vt lac infantum diceris esse senum.
Vt sine te raro contingant gaudia plena,
Vtq; tuis spiret purpura nata genis.
Demum non vitis posthac tua tempora cinget,
Sed Romana dabit laurus vtrunque decus.
Debita laurus erit, sæuos quòd fuderis hostes:
Debita, quòd Phœbum, Pieridásque colis.
Permessi perhibent te sæpe ad sacra fluenta
Venisse, Nymphæ posthabuisse merum:
Nec non ad numeros Musarum dulce canentum
Sopitum viridi procubuisse solo.
Et tecum potos vnà duxisse poëtas,
Ennius ipse fuit, Mæonidésque comes.
Ipse comes fuit & Flaccus, qui te sine nunquam
Pulsauit Latiæ dulcia fila lyræ.
Fac Lenææ igitur, ne sint, precor irrita vota;
Quæ bonus è medio pectore promit amor.
Indefessus amor, qui nulli cedit amori,
Vt nulli cedunt Principis acta mei.
Cuius me pietas seruauit, fidáque dextra,
Cum peteret nostrum bellua dira caput.

Et

Et cum Scylla vorax rapidis demergeret vndis,
Absorptum tuto litore restituit.
Sic tibi fœcundis vindemia læta racemis
Impleat effuso grandia labra mero.
Sícque tua niteant argentea cornua fronte,
Ut posśit meritò cedere Luna tibi,

ELEGIA V.

Ad Sertorium Pepum, & Ioannem

Antonium Seronem.

QUi miser ah longo credebam vincere fletu,
Rumpere qui molli saxea corda prece,
Hei mihi nec lacrymæ, prosuntue precantia verba,
Dum Nisa obtusis auribus esse volet.
Certe ego, flebilibus quæ fudi verba querelis,
Sperabam sæuas flectere posse feras.
Ah quoties duræ pedibus proiectus æmicæ
Efflaui medio penè animam gemitu.
Nec tamen occlusas mea dicta admissa per aures,
Stat surda Alpinis cautibus illa magis.
Sæpe feram pretio tentaui vertere mentem,
At pretium tantum sanguinis illa petit.
Et tamen ah Veneris iurauit perfida numen,
Præ me vel magnos linquere velle Deos.
Tunc ego pollicitis captus, spe fretus inani
Spernebam Stygij ditia regna Iouis.
Spernebam quicquid poterant dare sidera cuiquam,
Spernebam Paphiæ gaudia prima Deæ.

Non bene mentis inops recolens, quàm fœmina fallax,
Quàm sit vel leuibus mobilior folijs.
Fœmina & à primis didicit mendacia cunis,
Cœpit & à tenero nectere lacte dolos.
Ipsa prius sanos præuertens carmine sensus
Uitam homines docuit degere more feræ.
Ipsa prius cælo deduxit sidera cantu,
Miscuit & dira tetra venena manu.
Ipsa prius meditata nefas, & fallere docta
Aequauit vili regna superba solo.
Troia olim largo late perfusa cruore
Testis, & Iliaci causa Lacæna mali.
Causa Lacæna mali, quod nulla obliteret ætas,
Europæ, atque Asiæ grande Lacæna malum.
Ah nimis atra dies, Stygio tenebrosior Orco,
Cum blando cycnum fouit amica sinu.
Cúmque etiam furor effrænus, male sana cupido
In flammas patriæ te Pari mœche tulit.
Quò Pari mœche ruis? non te potuere verenda
Hospitij, non te iura mouere tori?
Uerte parumper iter, nam caræ incendia Troiæ
Humida per medij stagna vehis pelagi.
At si tantus amor Priami violare penates,
Nec retrahit patriæ debita cura tuæ;
Eia age rex pelagi fluctus ad sidera tolle,
Incute vim validis flatibus Hippotade.
Obruite ò rapido sceleratas vortice puppes,
Europæ atque Asiæ mergite grande malum.
Quò Pari mœche ruis fatali concitus æstro?
Serò etenim sapiunt post sua damna Phryges.

Sed quid ego? ah potius linguæ mihi torpeat vsus,
Ausim quàm dominam lædere læsus amans.
Etsi, quàm valeat, didici, Romana puella;
Quàm fera bella Venus Martis in vrbe gerat.
Quin potius Diuos moueant periuria linguæ,
Perfidiæ pœnas vana puella luat.
Tunc ego depictis subscribam vota tabellis,
Tunc mihi præ cunctis Cypria numen erit.
Tum mi Sertori, tum mi dulcissime Seron,
Si vos vel paruo tempore linquet Amor,
Votiuas aras vltrici ponite Diuæ,
Ut seruet vestro mox in amore fidem.
Et qua sæua iterum placari Tartara possent,
Romanam & Tuscam sumat vterque lyram.

ELEGIA VI.

FElices nimium serui Romana propago,
Quos ornat fidei, quos pietatis amor.
Turcarum classis longo maris interuallo
In Surrentinos verterat arma lares.
Dúmq; vrbem incendit, spoliat dum templa, rapitq́;
E matrum pauido pignora cara sinu;
Nec tam cura fuit captos abducere ciues,
Ferrea quàm vestro soluere vincla pede.
Vos illos, quorum imperio mala multa tulistis,
Barbaricis iuuit surripere è manibus;
Sublatósque humeris, ductósque per inuia montis
Seruastis tuto lustra sub alta loco.
Quæq; parata aderat fatorum munere uobis
Libertas, per vos hostibus ipsa data est.

Felices nimium serui, felicia vincla:
O sic vita velim seruiat vsque mea.

ELEGIA VII.

Ad Iulium Cæsarem Caracciolum.

IVli, quem Phœbus simul, & Cytherea vicissim
Erudijt, per quem fulget vterque magis:
Etsi nos vario turbat fortuna tumultu,
Et vetat antiquis ocia tuta focis,
Etsi nos trepidis agitat Mars efferus armis,
Nec sinit Aonias viuere in vrbe Deas,
Hincq; furens subito populus ruit vndiq; motu,
Hinc arce aëria flammea saxa volant,
Ipse tamen Veneris puer improbus, vt suus est mos,
Sæuiùs in nostro pectore bella gerit.
Non illum æratæ terrent per compita turmæ,
Non tuba, non socia tela retorta manu.
Ipse habet humano madefactas sanguine pennas,
Cædibus assuetas, vulneribúsque manus.
An ne igitur poterit tibi mittere carmina, cui sit
Hinc Mars, hincq; suo semper Amor lateri?

ELEGIA VIII.

In obitu Antonij Epicuri.

Túne Epicure iaces animæ pars optima nostræ?
Túne iaces Charitum, Pieridúmque decus?

Usque adeo immitis sæuit lex improba fati?
  Usque adeo in magnos mors furit atra viros?
Tu poteras blanda fatales voce sorores
  Flectere, præcipites tu cohibere manus:
Et tamen ipse siles nigro leuis umbra sepulcro,
  Nec vatem Charites, Pieridésue iuuant.
Debuerat laniata sinum, crinémque soluta
  Surripere è medio Calliopea rogo.
Ipsa tibi æternas felicia pocula lymphas
  Præbuit, & vellet serta dedisse tibi:
Quæ magni crines olim cinxere Maronis,
  Quæq; Tibulle tuos, quæq; Petrarca tuos.
Te moriente sacri Permessi exaruit vnda,
  Excussit laurus te moriente comas.
Dissiluit summo Parnasus vertice, & atra
  Nube suum obduxit te moriente nemus.
Tum Phœbus citharam perfregit pectine verso,
  Tum cecidit capiti laurus amata suo.
Solus abit, solus montes, syluasq; pererrat,
  Flebilibúsque mouet saxa, ferásque modis.
Non tantum, Eridani cùm flagrauere salicta,
  Defleuit nati tristia fata sui.
Infelix Phaëton animosis perdite cœptis,
  Quid male caute petis? cur tibi fata paras?
Metiri poteras annos, virésque, animósque:
  Aequa humeris aptet pondera quisque suis.
At nos exemplum miseræ terrere ruinæ
  Debuit, & poteram, non tamen abstinui.
Lucis enim maioris amor nos perdit, & vrit
  Maior quæ medio pectore flamma calet.

Quinetiam lacrymæ; quarum nos mergimur vndis,
Sunt, quibus Eridanus cedere iure potest.

ELEGIA X.

Ad Fernandum Carrafam, Sancti Lucidi Dominum, de Clarice Ursina cui rosa insigne est.

CArrafa Idaliæ miles spectate cohortis,
Cui dedit ipse suam Phœbus habere chelyn.
Dic, precor, Elysijs culta est num forte viretis?
An nostra est Paphijs vallibus orta rosa?
Num rubet effuso Veneris depicta cruore?
Auroræ roseo num modo lapsa sinu?
An Charis, vt se ipsam felici in flore referret,
Hanc potius proprijs excoluit manibus?
Nunquid odoratum Pæstum, collisue beati
Pausilypi, aut læto protulit Aegla iugo?
Nobilis Aegla meo fidissima testis amori,
Quæq; meo illustris carmine forsan erit.
Num talem Alcinous? talem num seuit Adonis?
An ne rosa est, cuius nomine dicta Rhodos?
Crediderim spreta Phœbum Peneide fronde
Compsisse intonsas floris amore comas.
Immemor antiquæ flammæ Deus, immemor at non
Sæuitiæ, atque fugæ dura puella tuæ.
Vana in amore fides, longi vertuntur amores,
Vinceris ah Daphne flore relicta nouo.
Nullus honos lauro posthac, rosa prima poëtis
Gloria, quæ facili ducat ad astra via.

Cede

Cede puer male caute, tua flos perdite forma,
Cede Amarante rosæ, cede Hyacinthe rosæ.
Cedite victrices lauri, tua tempora circum
Necte triumphator, necte poëta rosis.
Certa fides, vati quis non bene credat amico?
Hanc Romana suis nutriijt Ursa genis.
Ursa duas inter clarum decus addita cælo,
Cuius sit claro clarior ore polus.

ELEGIA XI.

Ad Christi Dei crucem.

Fortunata arbos, quæ reddis germina vitæ,
Digna olim regem sustinuisse poli.
Fortunata nimis, per quam cælestia regna
Humano generi scandere posse datur.
O tua me semper dulcißima contegat vmbra,
Umbra vel æthereo lumine clara magis.
Atque adeo immoto vitalis pectore radix
Hæreat, vt nulla vellier arte queat.
Ara, vbi cælestis mactata est victima, cuius
Sanguine deletum est crimen, & orta salus.
Arca, vbi seruatum est, tristis cum perdidit imber
Singula, mortalis seminis omne genus.
Crux bona vexillum cæli, clarúmque trophæum
Elatum forti celsa sub astra manu.
Fortunata arbos, cineres vel ad usque supremos
Esto comes, dubiæ metaq́, dúxque viæ.
Per mare, turbatis cuius demergimur vndis
Tu mihi clauus eris, túque phaselus eris.

Prauia

Præuia túque die deserta per inuia nubes,
Ignea tu media nocte columna mihi.
Tu mihi virga, olim quæ floruit ordine miro,
Tu mihi, qua saxi vulnere fluxit aqua.
Tu, qua Tænarij perfracta est ianua Ditis,
Oráque tergemini conticuere canis.
Tu mihi virga illa es, vastum qua finditur æquor,
Dulcescit tactæ qua vel amaror aquæ.
Crux bona vexillum cæli, clarúmque trophæum
Fixum victrici celsa sub astra manu.
Fortunata arbos, quæ reddis germina vitæ,
Digna olim regem sustinuisse poli.
Nil mihi cum Musis posthac, tu Musa vel vna es,
Nil mihi cum lauru, tu mihi laurus eris.
Mors mala sub ligno per te procumbit eodem,
Quo nata in nostrum prodijt exitium.
Sub pedibúsque tuis victum facinúsque, nefásque
Proiacet, & quicquid culpa vetusta tulit.
O precor in te configar, si magna precari
Mi datur, & tantum promeruisse licet.
O vtinam ad truncum moriar, sub stipite condar,
Tu Mausoleum, tu mihi Pyramides.

ELEGIA XII.

Ad Angelum Constantium,
de obitu filij.

POne modum lacrymis, Constanti, parce dolori:
Sæpe Deis nimiæ tædia sunt lacrymæ.

Etsi

Etsi te nati tantum mors turbat adempti,
Qui cum prima domus gaudia lapsa iacent.
Quid quereris? non causa tuis uenit æqua querelis:
Iure quidem terris omnia nata cadunt.
Iure dedit natura mori: natura voluntas
Firma Deûm. superi quid nisi recta volunt?
Adde, quòd est etiam mors contemnenda beatis,
Quòd sapiens miserum nec putet esse mori.
An nescis quot vita malis obnoxia? quæ sit
Humani infelix conditio generis?
Undique perpetuo iactamur turbine rerum;
Hinc fati, hinc casus vertimur arbitrio.
Fortia per varios spectantur pectora motus,
Erigere intrepidos Fors violenta solet.
Callidus iratis laudatur nauta procellis,
Et decus accepto vulnere miles habet.
Non animum cauti sic miraremur Ulyssis,
Sensisset placidum si maris ipse Deum.
Scilicet huc illuc vario cum fluctuat æstu,
Tunc mens signa sui roboris apta dabit.
Euander natum, natum quoque Nestor ademptum
Fleuit: at humentes tersit vterque genas.
Frustra etenim querimur, nequeunt si fata moueri,
Pascitur humano ferrea mors gemitu.
Cuncta dies minuit, tu victor temporis esto;
Fac per te veniat mitior ipse dolor.
Te vocat adsuetos cantus, suetásque choreas
Cynthius, & numeris commouet antra nouis.
Te sine Cyrrhæi longùm tacuere recessus,
Fons sacer arenti te sine sordet aqua.

Filius

Filius ætherei gaudet nouus incola regni,
Et captat puri præmia digna animi.
Non illi hi gemitus curæ, quin forte perosus
Tot lacrymas, queritur de pietate tua.
Perpetuam humanos questus turbare quietem
Credimus: Elysium pax tenet vsque nemus.
Illic tuta quies, tranquillæ & gaudia vitæ,
Quisque pius certis perfruitúrque bonis.
Illic quisque sibi felices transigit horas
Securo calcans gramina læta pede.
Illic æterni flores, æterna vireta,
Ménsque alitur veris candida delicijs.
Eia animum compone aegrum, compesce querelas,
Nati ne rumpas ocia sancta tui.
Sat lacrymis maduere genæ, sat lumina flerunt,
Turpe nimis turpe est fata dolere nimis.

ELEGIARVM LIBER TERTIVS

ELEGIA I.

Ad Vespasianum Gonzagam.

MAgne Heros Gonzaga tuo gratare poëtæ,
Gonzaga Aonidum gloria, Martis honos.
Felices saluete vndæ, salue Aegla, benigno
Quæ nos exhilaras sæpe, fouésque sinu.
Aegla dies tenebris, eadem portúsque procellis,
Iucundum nostris profugium Aegla malis.
Ille ego Campanæ Lycidas piscator arenæ
Restituor notis aduena litoribus.
Ille ego, cara olim qui per myrteta solebam
Nequicquam Tusco carmine sæpe queri;
Cui toties olim tu responsare querenti
Assuesti, Nisæ dum fera regna tuli,
Dic rogo, (quandoquidem potuisti noscere, dum nos
Inuitum tellus Romula detinuit)
Num potuit meminisse mei, num Nisa misertæ est?
An nos illius mente fugauit Amor?
Nempe fugauit Amor: veluti modò somnus apertè
Detulit, est veri nuntius ipse Deus.
Visus eram plenas traxisse ad litora nassas,
Mox raptas flebam mi subito è manibus.
Quin etiam niueas secreto litore conchas
Dum legerem, dominæ paruula dona meæ,
Vidimus insueto nigrescere more lapillos,
Atque rapi irato retia iacta Noto:

Quásque modo intactas piscantes vidimus vndas
Fœdari immundæ protinus ore suis.
Somne pater, rerum interpres fidißime, nescis
Fallere, sunt Somno singula nuda Deo.
Tu lucem præbes tenebris, tu tecta recludis,
Tu certis animum pascis imaginibus.
Tu dulci faciles complexu reddis amicas,
Per te desertus conciliatur amor.
Quàm meritò fecitque Deum, donauit & ara,
Qui per te nouit commoda tanta prius.
Ecquis te melius dubiæ præsagia mentis
Firmare, atque animi soluere vincla potest?
Ipse ego, litoreis tantum promittere Musis
Si datur, hæc per te litora Somne canam.
Vt Venus ipsa parens tibi sit, genitórque Lyæus,
Humano vt venias certa quies generi.
Nec sine te quicquam iucundum, dulce nec vllum,
Nec sine te poßit vita placere diu.
Nulla dies, votis qua non venerêre, recedet:
Crescet muneribus pinguior ara meis.
Seu fluctus fremat iratus, seu dormiat, omnis
Crede mihi veniet præda futura tua.
Intereà quando de te male rumor habetur,
Falle alium, tecum nil mihi, Nisa vale.
Nisa vale, infidæ pœnas dabis improba dextræ,
Discet ab exemplo perfida turba tuo.
Risus amatorum fies per compita, fies
Turpis anus tremula despicienda manu.
Vix & humo audebis mendaces tollere ocellos,
Qui noua nunc niuea sidera fronte nitent.

Flebis in argentum flauos abijsse capillos.
Perfidiæ senium pœna, malúmque venit,
Aequa Deûm pietas; nihil est, quod linquat inultum,
Nulla quidem iustas dißipat aura preces.
Audiat hoc, sanctúmque precor Venus aurea faxit,
Pendeat è collo fracta catena meo.

ELEGIA II.

Ad Annibalem Carum.

NEcte comam lauro, Iani rediere Calendæ,
Mittuntur grata mutua dona manu.
Lætitia huc illuc volitans per compita ludit,
De prisco cunctos gaudia more tenent.
Aegla coronatas exercet pulchra choreas,
Non tamen vt nuper carmina læta canit.
Hei mihi cur vni mœstæ redière Calendæ?
Cur mihi læta dies tristis, & atra venit?
Festa alijs latè præcingit limina laurus,
Limina feralis nostra cupressus habet.
Sancta doce Venus immiti quæ dona sepulcro
Mittere, qua marmor flectere voce queam.
Ah felix marmor, nostros quod condit amores,
Nec me, quod vellem, condere adhuc potuit.
Per te sæpe imis arsit Neptunus in vndis,
Iuppiter & medio mugijt ipse salo.
Iampridem longos questus, lacrymásq; mouemus:
At lacrymæ, & questus præmia mortis habent.
Iampridem dedimus deuicti pectoris arcem,
Tu magis at nostro sanguine læta furis.

Annue Diua: tuas vßit quoque flamma medullas.
Té ne latent nati tela, facésque tui?
Eueniant modò vota, alij tibi marmora ponant,
Marmora Phidiacæ fama, decúsque manus.
Ipse feram triplici dilectas ordine myrtos,
Súbque tuo crescens nomine lucus erit.
Ara intus, texto surget de cespite, qua non
Agna tibi vndanti sanguine cæsa cadet;
Sed deuota tuæ fumabunt exta columbæ,
Et rosa non solito sparget odore focos.
Hic ego litorea meditabor arundine carmen,
Quod referat docili sylua nouella sono.
Atque Gnidon, Cyprumq; canam, natumq; potentem,
Nobile & Idæi iudicis arbitrium.
Ut sit amarities dulci permista veneno,
Eq; tuo veniat vitáque, mórsque sinu.
Utq; truci sis orta mari, sis sæuior vndis,
Et si te miti fronte tabella refert.
Per te fiat amans piscator, sitq; poeta,
Qui moueat Tuscis cærula regna modis.
Hæc ego: dent alij spirantes ære columnas,
Déntque reuulsa tuis saxa Caryste iugis.
At si fata volent lacrymosæ stamina vitæ
Rumpere, & auersis auribus esse Deam:
Tum memor ipse tui carißime Care sodalis
Hæc subscripta meo carmina da cineri.
Uxore extincta lugens, ardénsque poëta
Occidit, & tumulo luget, & ardet adhuc.

ELEGIA IIII.

Ad Phœbum, de Ioanne Francisco Musettula ægrotante.

PHœbe veni, noster tibi sit Musettula curæ,
Quem longus fesso corpore morbus habet.
Nunc opus in primis varios componere succos;
Nunc opus est medicas nunc adhibere manus.
Eia age, Pierijs herbas quas colligis hortis,
Affer, vt à domino sentiat æger opem.
Quid fiet, si forte diem Musettula claudet?
Quid fiet nostri temporis historiæ?
Actum esset de te memor ò facundia, nullus
Esset honos salibus, gratia nulla iocis.
Non illi curæ anguipedes fera monstra Gigantes
Fingere, & irati flammea tela Iouis:
Utq; pater fuerit Dictæis pulsus ab oris,
Ut dederit Latijs commoda primus agris:
Uerùm discordes animos, Tyberináque bella
Scribere, & Albani fortia facta Ducis.
Ut furor è paruis incendia magna fauillis
Suscitet, inuoluens sæpe profana sacris.
Ut rerum euentus doceat sibi quenque cauere,
Consulat alterius vt sibi quisque malo.
Te modò ne pigeat pauidis succurrere votis,
Et tua iam dextro visere sacra pede.
Seruato hoc vno maior tibi Phœbe triumphus,
Quàm numeris audax Marsya victus, erit.
Marsya mentis inops non est tua tibia tanti,
Direpta in latices dum fluis ipse cute.

Non

Non tibi tam Python decori, Cyclópsq; peremptus,
Quódque tot vnus habes nomina clara Deus;
Quòd vatum præses coleris, quòd carminis auctor,
Quòd tibi sit laurus, quòd lyra, quódq; coma;
Quàm modo languentem nobis seruasse sodalem,
Et simul Aonium restituisse decus.
Tunc ego rite nouus visam tua templa sacerdos,
Atque addam sacris thura Sabæa focis.
Moxque alios inter festum Pæana canentes
Térque, quatérque tuum nomen ad astra feram.
Parcite tunc lacrymæ, parce ò dulcissima coniux,
Parce dolor, sine te sit precor vna dies.
Ut possim meritas narrare ex ordine laudes
Et Tusco, & Latio carmine Phœbe tuas.
His demum exactis lacrymæ, coniúxque redite,
Vince dolor, sine te sit mihi nulla dies.

ELEGIA V.

Ad Ioannem Hieronymum Aquiuiuum.

Hadriæ Ducem.

ET licet, & licuit semper deponere curas,
Miscere & leuibus seria facta iocis.
Maius adest: meditare nouas Aquiuiue Camœnas,
Sol procerum, patriæ spes, Aquiuiue tuæ.
Te quoq; Phœbus amat, sunt & mea carmina curæ,
Legisti nugas térque, quatérque meas.
Huc ades, huc nostri Mai pars lætior anni,
Huc florum, huc Veris læte minister ades.

Te cani-

Te canimus, tibi nostra nouos lyra temperat ictus,
Sacramus meritis festa nouella tuis.
Auspice te primum vitales hausimus auras,
Excepit viridi florea terra sinu.
Tunc Paphon, & Veneris linquens puer improbus ulnas,
Pectoris imperium cœpit habere mei.
Méque prius lustrans lacrymis inspersit amantum:
Mox madefacta meo sanguine penna sua est.
Aspice, ut ante fores longo tibi stipite surgat
Arbor, & est Maius nomine dicta tuo.
Aspice contexto quot pandat vertice frondes
Ramus, vt è ramo pendula cantet auis.
Ut velata nouis exultent limina sertis,
Ut passim largo flore nitescat humus.
Ut Nymphæ antiquo celebrent Maialia ritu,
Atque ter hæc læta carmina voce canant.
O faueas, hilari spectentur singula vultu:
Adsit Amor, miti qui ferat arma manu:
Te canat arboreo recubans sub tegmine pastor,
Dum carpit tenerum gramina læta pecus:
Te canat hinc olitor, te cari hinc cultor agelli,
Dum ludunt vacui lata per arua boues:
Tu bone Diue adsis, Zephyrum sic fallat amantem
Chloris, & optato te foueat gremio.
Chloris amor, Chloris pulchris prælata puellis,
Quæ vel adhuc frustra deperit igne tuo.
Quam, dum forte olim gemmantia prata pererrat,
Diceris ipse tuo detinuisse sinu.
Ac tum purpureásque rosas, mollésque hyacinthos,
Tum primùm violas, tum genuisse crocum.

Hinc

Hinc data iucundo per te sunt nomina mensi,
Hinc Maij ex illo tempore nomen habes.
Quod tibi nec prisco maiorum nomine ductum est
Nec tibi maiestas, nec tibi Maia dedit:
Sed quòd maiores nunquam Dea senserit æstus,
Quódque magis nullo tempore regnet Amor.
Verùm hausisse parum vitales profuit auras,
Cùm sine te coniux omnia sint tenebræ.
Ver mihi tristis hyems, flores ferrugine pallent,
Et pulchra, & ridens arida mœret humus.
Omnia læta tuo conduntur Portia saxo:
Et tamen haud potui condier ipse simul.
Quid moror infelix? extincta viuere vita
Non decet: erepta coniuge vita mori est.

ELEGIA VI.

Ad Vallem Rosciolanam.

SI quid mi misero est animi, quod forte reliquit,
Quæ tulit ad tumulum secum animam, atq; animum;
Omne id discedens Vallis tibi cara relinquo;
Et si id non habeo, velle id habere sat est.
Vallis cara olim, vita mihi carior acta,
Roscida, seu Rosea es nescio, cara tamen.
Fontibus irriguis lætissima, dulcibus vmbris,
Ridentem croceo picta nitore sinum.
Non tibi ros dederat nomen, non Roscius olim,
Sed rosa Acidaliæ dona relicta Deæ.
Nanque in te latuit, fugeret cùm Martis amores
Cypria, posthabita te coluitque Papho:

Decedénsque rosam dono dedit. ipse latebras at
Pectore flos blandi captus amore loci:
Atque ait, hospitij rosa sit tibi pignus amici,
Déque rosa felix hospita nomen habe.

ELEGIA VIII.

Ad Marinum Frecciam, de ruinis Pæstanis.

VOs ò iucundi deflenda cadauera Pæsti,
Vos ò felicis diruta busta loci,
Ridentes campi, dulcissima litoris ora,
Quæ vel adhuc redoles semisepulta rosas;
Vos sacræ Heroúmq; umbræ, quæ nunc quoque, ut olim,
Huc illuc fertis per loca nota pedem,
Sancte Geni, prisciq; Lares, nunc pascua, vos &
Nunc nemus, ast olim templa, theatra, forum,
Urbis relliquiæ miseræ, celebrésque ruinæ,
Tristia fatalis vix monimenta soli,
Dicite, (quandoquidem pietas non vltima rerum est
Nec procul à duro marmore sensus abest,
Infelix testis Niobe, quæ flebile saxum
Extinctos natos luget adhuc Sipylo)
An ne vnquam audistis motu suspiria tanto?
Spectastisne unquam tótue simul lacrymas?
Vos nvnquam audistis motu suspiria tanto,
Nunquám spectastis tótue simul lacrymas.
Mors tua sunt dona hæc, nullo mors sæuior æuo,
Túne igitur bona mi tot simul vna rapis?
Nunquam par facinus patrastis ferrea fata,
Exitio nimium ferrea fata meo.

Ah scelus infandum. sed quid mala fata tulistis?
Emicat æthereo Portia nostra polo.
Atque incorruptæ pulcherrima semina formæ
Transtulit omniparens ad sua regna Venus.
Ut si quid pulchri vellet mortalibus esse,
Hinc caperet, pulchrum non aliunde capit.
Non quæ iunxit Amor potuistis soluere vincla,
Vincla nec extremo dissoluenda rogo.
Urbis relliquiæ miseræ, celebrésque ruinæ,
Spargite nunc mecum, spargite nunc lachrymas.
Vos semel excidium quondam deflestis acerbum,
Sed finem lacrymis fata dedere tamen.
At mi nil prodest rerum mutabilis ordo,
Nam vita æternis est rediuiua malis.
Túque Acci quondam, nunc verso nomine Solphon
Qui vitreo exhilaras pinguia culta pede,
Solphon, cui Silaris pater est, cui Trentana mater,
Cui Iungana vxor, cui Cominenta soror.
Omnia mutantur: mutant quoque flumina nomen.
Tristem animum nullo tempore mutat amans.
At me quis retinet? iuuat ò me mittere in vndas
Præcipitem, placidis excipe flumen aquis.
Non decet extincta iam viuere coniunge, nunc ò,
O' liceat saltem sic mihi posse mori.
Nempe tuis nostras vndis extinguere flammas
Fata sinent: sed quæ somnia fingit amor?
Nedum tantillum ardoris, qui pectore feruet,
Restingui poterit fluctibus Oceani.
Urbis relliquiæ miseræ, celebrésque ruinæ
Spargite nunc mecum spargite nunc lacrymas.

Aucte meis lacrymis Solphon te cernimus vltro
Sistere, tu liquido me precor abde sinu.
Abde precor: quid possit Amor bene flumina norunt:
Præcipitem placidis excipe blandus aquis.
Forsan ope indigenæ nos & mutabimur amnis,
Et fiam nullis sensibus ipse lapis.
Nanque in te tactum saxo concrescere ramum
Vidimus: an ramus sorte mea melior?
Sim licet ipse lapis, doleam tamen vsque, doléńsque
Ardebit medio flumine muta silex.
Tu lux intereà sanctarum Freccia legum,
Qui Romam, & Spartam pectoris arce geris.
Extincti mecum luge pia funera Pæsti,
Quin potius luge funera viua mea.

ELEGIA VIIII.

Ad Scipionem Ammiratum.

AMmirate huc huc, quò te vocat Aegla, venito:
Non bene cum Musis conuenit aula, forum.
Ecquid adhuc vanas lentus teris aulicus horas?
Felle venenato tecta superba madent.
Huc tecum veniat Ninus, nec Cambius absit,
Tu Cicarelle veni, túque Maranta veni.
Qui simul hic repetant iterum, MORS UNA DUOBUS
Et recolant gemitus tot monimenta mei.
Quorum colloquio statuæ, circumq́; resultet
Porticus, & nostro picta dolore domus.

Huc properent dulces etiam quos deperis ignes,
Tractet & Idalias mitiùs arma puer.
Nec non egregium Phœbus comitetur alumnum
Pérq; iocum discat villica verba loqui.
Atque rosis, quas hortus alit, tua tempora cingat,
Tempora, quæ pridem laurus amica tenet.
Rura colam desertus amans: mihi rura colenti
Vilescant omnes, quas habet Indus, opes.
Rura quies, pax rura colit, mens nescia ficti,
Purus & intactæ relligionis amor.
Rura fides, probitásque colit, rectúmque, piúmque,
Nudáque simplicitas, virgineúsque pudor.
Saturnus castos fertur regnasse per agros,
Exempta est dulci tunc fera glande fames.
Tunc non securos rumpebant classica somnos,
Non gladius nostro sanguine tinctus erat.
Nullus adhuc locus insidijs: non taurus aratrum,
Vincula non pedibus senserat vlla reus.
Nullus erat pecori numerus, nullúsue magister:
Nondum tentârat nauita auarus aquas.
Quisq; dabat Venerem truncus: simul esse licebat:
Non erat inuisa ianua clausa sera.
O tum felices, quibus vltima contigit hora:
Debuit humanum tunc perijsse genus.
Quis fuit infausti sceleratus criminis auctor?
Quis tantum potuit promeruisse mali?
Iuppiter ecquid agis? per te bona secla ruerunt
In ferrum, per te totque abiere bona.
Debueras certe sceptris præferre paternis
Non æquanda vllis oscula diuitijs:

Oscula,

Oscula, quæ paßim blandis surrepta puellis
Libera lex prisci temporis ipsa dabat.
Tu tibi damna paras. Saturno regna tenente
Quàm varijs licuit ludere imaginibus.
Nunc ales, nunc taurus eras, nunc aureus imber.
Præda erat ardori quæque puella tuo.
Nec minus intereà fumabant thura per aras:
Sunt & amatori reddita vota Ioui.
Nunc tibi iucundæ prærepta licentia vitæ,
Nunc varijs vetitum ludere imaginibus.
Non licet incautas mentito numine Nymphas
Fallere: stant quanto regna parata malo.
At nos quid tantum sceleris commisimus, ut non
Antiqua liceat conditione frui?
Vix datur optatas procul inspectare puellas.
Sæuit enim nostro tempore auarus amor.
Et meritò, quoniam mendaci credimus hosti:
Ah quantum est pueris credere vana fides.

ELEGIA X.

Ad Rodulphum Pium Cardinalem, vinum mittit cui lacryma vulgo nomen est.

O Quem Roma vocat meritò decus vrbis & orbis,
Quem vocat humani delitias generis;
Cui iam templa, aras ponit, quo Principe magna
Concipit, & supplex vota, precésque parat;
En tibi Pausilypi lacrymæ, quas fudit ad vndas
Dum fugiens Nesis vertitur in scopulum.

Tu

Tu cape (parua licet) magni sunt pignora voti,
Siue leges lacrymas, siue bibes lacrymas.
Forte sub vmbrosa cantabat vinitor vlmo
Pausilypus: domino spem dabat vua suo.
Iámque arbusta, lacus, vtres, & prela sinebant
Calcari immundo feruida musta pede.
Nesis Nympha olim felicis gloria collis
Optatus iuueni, dulcis & ardor erat.
Vinitor hæc blandis iactabat verba querelis,
Quæ poterant quercus flectere, saxa, feras.
Huc propera ò Nesis, Nesis dulcissima cura,
En volat ad te animus, deserit en me animus.
Est procul à nobis Campana licentia fandi,
Indigna obscœnis casta puella iocis.
Quò vocat Autumnus, quò te vocat ipse Lyæus
Nympha veni: non sum qui tibi damna parem.
Dispeream, caris oculis ni carior ipsa es,
Ni matura vua dulcior ipsa mihi es.
Ecquis tam sæuus, placidam qui turbet amicam?
Ecquis erit, qui te lædere vita velit?
Sordidus haud ego sum, media sed natus in vrbe
Qui videar, pes est testis, & ipsa manus.
Rustica non facies, non barba est vuida musto,
Non mihi pes est, non fece peruncta manus.
Hic tibi frondentes texunt vmbracula vites,
Hic ulmus virides pandit opaca comas.
Hic mulcere potes iucundo lumina somno,
Lumina, quæ memet surripuere mihi.
At vereor, somnus ne, dum blanditur ocellis,
Detineat dein te captus amore tuo.

Ipse

Ipse & odoratis componam serta racemis,
Qualia non Indo Bacchus ab orbe tulit:
Queîs vitare æstus poteris, queîs cingere crines,
Ah crines vitæ retia cara meæ.
Depictas soleas palea, textúmque galerum
Seruaui, illum rure, has & ab vrbe tuli.
Quin tibi meme ipsum seruaui: num dare maius
Quis valet? & plura his te quoq; dona manent.
Pausilypus tuus est totus, vindemia tota est:
Non ego, non sine te viuere, & esse velim.
Huc propera ò Nesis: quæ te nunc inuida nobis
Ocia, quæ choreæ, qui retinéntue chori?
Num me fastidis, tenuem num spernis amantem?
Cui sit villa parens, & tibi villa parens.
Etsi non diues, tamen est mihi vinea villæ
Proxima: dat Græcum, dat Latiúmq; meri um.
Quæ bene culta nitet fœcunda septa labrusca,
Implet & ipsa meri quattuor vna cados.
Illa aderat latitans post sepem, dúmq; pedem fert,
Arguto sepes obstrepit icta pede.
Sensit adesse miser. sequitur: fugit illa propinquum
Ad litus, sueto non bene tuta loco.
Atque ait: O Nymphæ facili succurrite dextra:
Inter Nereidas culta Diana quoque est.
Sic illa, exiliens medias euadit in vndas,
Tum versa in scopulum protinus obriguit.
Protinus obriguit, poterant hoc numina, & vltra,
Ut saxum, atque vno tempore Nympha fuit.

Hæsit

Hæsit amans, monstrúmque horret, nec plura locutus
Heu totus dulces liquitur in lacrymas.
Flerunt Nereides, sociam fleuere Napeæ.
Est syluis pietas, est pelago & pietas.
Túncque Dicarchæi dederunt suspiria colles:
Ex illo semper sulphure flagrat ager,
Gaiola vicinam fleuit, lacrymásque dedêre,
Mergillina suas, Antiniana suas.
Nec non ipsa velut venturi præscia fati
Uberius lacrymas spargis & Aegla tuas.
Aegla, olim ad numeros quæ responsare solebas
Piscantum, sed nunc non nisi flere tuum est.
Et sat erat seruasse tuos ad funera fletus,
Quæ scribenda meus morte reliquit amor.
Verùm ille ut vidit mutato corpore Nympham,
Vidit, & infelix nec sibi credit amans;
In mare præcipitem se se demittere tentat,
Caro etiam sperans posse frui scopulo.
Sed Bacchi pietate (canat quis mira Deorum?)
In vitem, hærebat cui modo, versus abit.
Quæ nunc mœsta etiam illacrymat, quæ cortice manat,
Heu memor exitij tempus in omne sui.

BERARDINI

BERARDINI
ROTAE,
VIRI PATRICII
EPIGRAMMATVM
LIBER

AD PERAPHANVM RIBERAM, PRINCIPEM OPTIMVM.

PRincipibus placuisse viris non ultima laus est,
O Princeps nostris Sol date temporibus.
Uerùm illos placuisse aliis est gloria prima,
Quod tamen ipse vnus tu Peraphane facis.
Nam quis te melius metitur passibus æquis
Singula? quis melius deprimit, odit, amat?
Deprimit elatos, rectos amat, odit iniquos:
O verè auspiciis aurea secla tuis.

Fontis inscriptio.

NAiades, fontis quibus est tutela propinqui,
Si vestra veniet lympha perennis ope,
Largus vt arentes fœcundet riuulus hortos,
Pellat vt æstiuam villica turba sitim:
Prima dabit vobis sitientis cultor agelli
Lilia, prima olerum munera, prima rosæ.
Nec tantum teneris dabitis, mihi credite, plantis,
Quantum donata vos capietis humo.

De Nigella.

AEgida Pallas habet, sunt & tibi spicula Mauors,
Fuscina Neptuno, rete Diana tibi est;
Sunt thyrsi Baccho, Maiæ talaria nato,
Alcidæ claua est, ignea tela Ioui.
Unde caret facibus tantum Cytherea? sagittis
Unde Amor? hæc oculis arma Nigella gerit.

Ad eandem.

QVod tu purpureos, albos ego mittere flores
Assuescam, haud mira conditione venit:
Quæ tua sunt, nostro de sanguine dona rubescunt,
Quæ nostra, heu nostris candida de lacrymis.

De Marte & Phœbo.

DAphnidis infaustos dum Mars deridet amores,
Delius erubuit, risit & alma Venus.
Cui risum vultu simulans proclamat Apollo,
Quid si non cælo retia nota forent?

In Polydori pictoris mortem.

INuida cui potuit natura ignoscere, quamuis
Victa tua toties sit Polydore manu;
Nescijt infidi crudelis dextera alumni
Parcere: sic auri vicit auara fames.
Infelix semper Polydori nomen, vt aurum
Perdidit, vt nocuit semper amica fides.

Rosa

Rosa Campana loquitur.

QVæ modò Campanos fueram Rosa culta per hortos,
Heu decus Idaliæ, deliciúmque Deæ,
Nunc feror iratis Tyberis demersa sub vndis,
Nec patitur certum Nais habere locum.
I nunc, crede Deis: poterat seruasse Dione,
Debuerat Veneri parcere Martis aqua,

In obitu Prosperi Columnæ.

DVm stabas, tua Roma simul stetit, alta Columna,
Prisca stetit patriæ gloria, priscus honos.
Heu ruis, ecce iterum ruit alto à culmine Roma:
Prisca ruit patriæ gloria, priscus honos.
Iure sed excidium hoc aliis præferre ruinis
Roma potest. penitus nunc iacet: ante ruit.

Fontis inscriptio.

QVisquis amas vitrei pastor bona commoda fontis,
Pelle gregem: sacer est, tangere parce manu.
Fons Veneris natus lacrymis, dum luget Adonim,
Dum discerpta fero membra requirit apro.
Tu tibi parce, potens gelida latet ignis in vnda,
Ne bibe, nam flammas túque, pecúsq; bibes.

De Fernando Daualo Piscario, & Victoria Columna coniugibus.

SAt tibi, sat Daualus debet Victoria, vicit
Te duce tot populos, te duce tótque Duces.

At tibi plus Daualus debet Victoria coniux,
Carmine si potuit vincere fata tuo.
Utraq; sat tribuit: dedit at plus carmine coniux
Hæc dedit, vt mortem vinceret, illa Duces.

Ad Nigellam.

Miraris, quòd victa tibi sint lumina somno,
Quódque vetet lassos ipse aperire oculos.
Non mirum: cùm tanta tibi vis luminis insit,
Ut nequeat somnus captus abire oculis.

Ad mortem.

Mors propera, miseris spes ò certissima rebus:
Mors propera, & vitæ stamina rumpe meæ;
Sed tacito pede curre, animus ne noscat adesse:
Nam præ lætitia nunquam ego deficerem.
Res Amor infelix. optat fugienda: rusurgit
Tristibus, ò mira conditione malum.

Myrtus loquitur.

Amplexam Paphia quid vitem vellere myrto
Contendis? sæua parce colone manu.
Pace tua Vulcane, tua Gradiue: Lyæi est
Iure Venus, Veneris iure Lyæus erit.

De Io. Francisci fratris obitu.

Legerat æterno donari mortis honore,
Si quis pro patria vellet obire sua.

Sic

Sic moriamur ait pugnans Franciſcus: & ò nunc
Me quoque me Decium patria, dixit, habe.

In ſtatuam hominis duriſſimi.

NE mirere hominem fictum de marmore. viuus
Marmor erat: nunc eſt, quòd prius ipſe fuit.

Tinnæ votum.

HOc tibi remigium alarum iucunde Fauoni
Affixum ſalicis cortice Tinna dico:
Quas, niueos artus vitreo dum fonte lauabam,
Surripui armato nuda puella Deo.
Aeſtus erat: liquidas potatum venerat vndas
Laſſus Amor: tota ſtrinxerat arma die.
Atque ſuper virides reſupinus ſtrauerat herbas
Languidulus ſomno membra ſoluta puer.
Tu cape: ſic ſemper per florea prata vagantem
Te foueat blãdo Chloris amata ſinu.
Fac meus ipſe tuam venatu vt feſſus Iphalcon
Sentiat ardenti ſidere ſemper opem.

De Micco.

ERgo erit vt pereat Neptuni Miccus in vndis,
Natus Celtarum montibus in medijs?
O fines vitæ incertos, iniuſtáque fata:
Debuerat Bacchi fluctibus ille mori.

In

In Quintum

NOn Quintus, sed primus eras fallacibus ausis:
Atque vtinam nullus perfide Quinte fores.

De Carlo V. Cæs.

DUm celer exuperat prææruptas Carolus Alpes,
Dúmque fera innumero milite bella mouet,
Contremuere alto longùm saxa inuia motu,
Mirata Augusti vímque, animósque Ducis.
Quin Dryades perculsæ armis latuere sub imo
Cortice, & hæc tremulo vèrba dedere sono.
Gallia flere potes: remeat iam Cæsar. es olim
Victa: sed in cineres nunc prope versa rues.

Nisa loquitur.

H'Ac rosa cingam Lycidæ capillos,
Quæ patet verno saturata rore,
Cùm diem Titan referans Eoo
Litore surget.
Hac & innectam studiosa frontem,
Quæ latet paruo bene septa nodo,
Per me vt Auroram superet nitenti
Frontis honore.
His & implebo calathum ligustris
Quem modo intexit Pholoë Vesεui
Nata, & intextum mihi misit, vt mox

Unus

Unus haberet.

Hisce & inuoluam iaculum corymbis,
Quo feras certo ferit acer ictu
Ille, cui summis potuit Diana
Cedere siluis.
Mox sit ut caræ memor ille Nisæ,
Hac leues lauru calamos ligabo,
Sæpe queîs ipsum potuit canentem
Vincere Pana.
Hac tegam myrto baculum virenti
Aegla Sebethi soror Aegla, quam mi
Carpsit, it dum liciduli pusillas
Fratris ad vndas.
Hiis coronabo violis iuuencam,
Quam diu munus iuueni dicaui,
Quámque vel credas iterum placere
Posse Tonanti.
Tu veni huc inter Lycida genistas,
Dum per herbosos pecus errat agros,
Pauca pro centum mihi clam rependens
Basia sertis.

Scalæ vinosi tumulus.

SCala obijt: vos flete cadi, vos flete lagenæ,
Vos phialæ, & calices, vos pateræ, & cyathi.
Flete illum vos præla, vtres, vineta, lacúsque,
Largius & vites spargite vos lacrymas.

Fama

Fama ad Carolum V. Cæs. loquitur.

ET si pressa cadet tantæ sub pondere vocis,
Vel medijs penna deficiente vijs;
Exoptat plura ora tamen, duplicésque volatus,
Ut referat laudes nuntia Fama tuas.
At nescit quo Cæsar eat: sunt te omnia plena.
Nil vltra, quo iam progrediatur, habet.

De Nisa.

NUlla meo Nisæ sine nomine surgat agello
Arbor: ita est cautum Cypria lege tua.
Crescite iam lauri, myrti iam crescite: amicum
Nomen & in tenero cortice quæque ferat.
Sic ego vel sacras Parnasi rusticus vmbras
Despiciam, Elysium despiciámque nemus.

Ad Nisam.

DUm centum manuum osculationes
Adhærens tibi mittit hic, & ille,
Ah quantum mea Nisa das timoris,
Ne, dum sic manuum osculationes
Ingerit tibi vita, basiando
Incautus comedat manus vorétque:
Et sint non manuum osculationes,
Verùm sint manuum vorationes.
Mellitæ niueæ manus tenellæ

Sunt dignæ nimia osculatione :
Quin dignæ subita voratione .
Sed velim potius manus vorari,
Quàm (sic æstuat ira) basiari :
Hæ nostro madidæ manus cruore ,
Hæ sunt, quæ rapuere me mihimet .

Io. Francisco fratri soluit inferias.

QVis te tam subitus florentem perdidit imber ?
Imber; qui fratri tot peperit lacrymas.
Vix ingressus eras placidi bona tempora veris ,
Vix Phoebi ad radios flos nouus exieras ,
Cum te tristis hyems rapuit , cum dextera pressit,
Dextera visceribus facta cruenta meis .
Pro patriis cecidisse focis pulchrúmque, decénsque
Duxisti : haud moritur , si quis ita emoritùr.

Ad Nisam.

QVas bona Flora rosas Paphiis modo legerat hortis,
Excoluit tenera quas Cytherea manu,
Vberibus madidas lacrymis tibi mittit Amyntas ,
Ac simul his animam floribus implicitam.
Nisa cape . his poteris niueas ornare papillas :
His poteris nitidas nectere Nisa comas .
Floris honos breuis est : breuis est quoq; gloria formæ .
Dum licet , ah verno tempore disce frui.

De Vate & Iulo Romano.

QVod potuit laribus sacri modo parcere Vatis,
Relligiosa nimis Tybridis vnda fuit.
At, quòd præcipitem nequijt modo perdere Iulum,
Relligiosa parum Tybridis vnda fuit.

Ad Rogerium Naccium.

VIncere fortunam nulla est victoria Nacci:
Fœmina fortuna est, fœmina & ipsa nihil.

Ad Aeglam de villa sua Rota.

ITe iam blandæ procul ite nugæ:
Vrbis hic tandem liceat querelas,
Hic forum inuisum aufugere, hic potentum
Limen auarum.
Hic mihi mentis liceat procellas
Pellere, hic curas animum vorantes,
Viuere hic saltem breue tempus, hic mi
Reddere memet.
Ecquod ò nunc prósugium? ecquis vnquam
Tutior portus? male iam sat olim
Lusimus, quot iam male vana amantes
Fleuimus annis.
Aegla tu castæ generosus vndæ
Fons, & vmbrosis Helicon viretis,
Tu mihi lauri nemus, & canorum
Phocidos antrum.

Tu parum cautis locus aptus annis,
Tu parum firmæ requies senectæ,
Forsan optata mihi cana cinges
Tempora fronde.
Colle tu paruo mihi das natantes
Aequore hinc Nereidas, hinc Napæas
Cernere errantes locà pulchra circùm
Consita citris.
Tu mihi das Pausilypi recessus,
Túque craterem pelagi videre, &
Antra, & in primis veneranda magni
Busta Maronis.
Ut iuuat tecum canere impotentis
Nunc cruentatam pueri pharetram,
Nunc facem, nunc & medicata multo
Tela veneno.
Nunc còmas auro nitidas Nigellæ,
Nunc duas, sedem Ueneris, papillas,
Nunc rosas, nunc lilia, nunc micantis
Sidera frontis.
Ut iuuat poma, vt violas recentes
Carpere, vt ramos resecare inertes,
Murmure vt frondes agitantis auræ;
Fallere somnum.
Sic tibi ver perpetuum corollas
Suggerat, sic te Uenus ipsa Cypro
Præferat, sic te colat vsque pleno
Copia cornu.

Gigantes depicti, ad Carolum V. Caes.

ASpice, ut armatas scelerato pectore turmas
Impellat praeceps in sua damna furor:
Aspice, vt imposita tentet manus impia mole
Scandere, & inuicto bella parare Ioui:
Utque ille hanc subito detrusam fulminet ictu,
Erigat ut medio parta trophaea polo.
Disce quid hinc pietas, quantum temeraria possit
Mens hominum: haec surgit semper, at illa ruit.

Ad Luciam.

IN tenebris mihi lumen ades, lacrymásque ministras
Lucia Phoebea lucida luce magis:
Túque eadem absenti tenebras, lacrymásque ministras
Lucia. sic semper nóxque, diésque mihi es.

Iocus.

QUi torrem sufflas, faculámque accendere tentas
Istuc propera, flammas pectora nostra dabunt.

Ad Caudinum.

HÁsne tuae taedas natae Gaudine parasti?
Haec ne tibi optatus gaudia praebet Hymen?
Ut dum quisque hilares contendit adire Hymenaeos,
Proh dolor, ecce venit moestus ad exequias.

Et qua

Et qua forte die thalamo spectanda mariti
Nupta erat, inuisum ducitur ad tumulum.
Et tu viuis adhuc nata Gaudine sepulta,
Nec potis est vitæ rumpere fila dolor.
I pater infelix, viuum te conde sepulchro:
Nec tibi dent nomen gaudia, sed lacrymæ.

De Antæa & Cerrauno.

ARserat Antæam longo Cerraunus amore,
Sæuitiæ exemplum sancta Erycina tuæ.
Iunxit Amor, tandémque bona dum pace fruuntur,
Et miscent animas, blanditiásque simul,
Ecce inter subito blanda oscula fulminat ictu
Inuidus humani Iuppiter ipse boni.
Nec tamen amplexu potuit diuellere amantes
Ira Iouis: tanta vinxerat arte Venus.
Semper amatorum miserum genus: ut neque tuta
Fulminibus patris sit Cytherea sui.

Ad Luciam.

CUm cantas Venus es, Venúsque cantat:
Cùm ludis, Veneris puérque ludit:
Cùm rides, Charites simúlque rident.
At nunc Lucia quòd gemis, Venus iam
Iam luget, Veneris puérque luget:
Quòd ploras, Charites simúlque plorant.
Quin nox perpetuà immineret orbi,
Ni tuis oculis dies veniret.

Deflet Io. Baptiſtam Rotam fratrem, inſpecto agro Rauennate.

Hócne tibi fatale ſolum, fatale ſepulcrum?
  Hicne tibi inferias, hic tibi iuſta parem?
Hicne fuit frater clades deflenda Rauennæ?
  Eripuit cùm te Martis iniqua manus.
Nec voluit reducem miſeræ te reddere matri,
  Nec quæſita diu membra domum reuehi.
Ah quando eſt vetitum funeſtam ducere pompam,
  Pompa tibi hoc carmen, pompa tibi hæ lacrymæ.

Ad Auram.

Aura, quæ blando reſonas ſuſurro,
Aura, quæ flores vaga ludis inter,
Quæq; rorantes noua prata circùm
  Concutis alas,
Quam Venus ridens, Charites, Iocique
Paſsibus ſemper comitantur æquis,
Quam leues circùm volitant Amorum
  Mille cohortes.
Hi venenatas acuunt ſagittas,
Hi roſa multa iaculum coronant,
Hi faces læti quatiunt, & aura
  Suſcitat ignem.
Tunc aqua Nais calet omnis ima,
Tunc nouis ardet nemus omne flammis,
Tunc & inſueta face quæque ſumma
  Aeſtuat arbos.

Iámque

Iámque pastores, segetes, ouésque
Urerent æstus penitus voraces,
Ni meo fletu populata campos
Flamma periret.
Si parum flatu recreas benigno
Quam mihi laurum posui virentem,
Dum nocens nudos Canis vrit agros,
Dum sitit herba:
Aeglæ connectet tibi nostra flore
Mille fragrantes vario corollas,
Quas suis posset Zephyro parare
Chloris in hortis.
Mox lyram trunco Lycidas amico
Vota suspendens tibi soluet, vt te,
Voce perflabis quoties canora,
Personet vnam.
Tu modo ò votis faueas, & adsis,
Aspice, vt grata spatietur vmbra
Laurus, vt pandat tibi tota frondes
Aura, nec audis.

De Natali nocte Christi domini.

NAscere sancte puer nocte hac, qua purior vnquam
Non fulsit rutilis Lucifer ipse comis.
Te nato occumbit letum, dirúmque, malúmque,
Prauáque relligio, solicitúsque timor.
Te nato noua vita oritur, rectúmque, piúmque,
Et longo exilio spésque, salúsque redit.

Magne puer, quem regna manent terræq́, polique,
Quem manet euicti debita palma Erebi.
Nascere: dúmq; micat nox hæc nitidissima, nunquam
Affer ab Eoo litore Phœbe diem.

Fontis exsiccati inscriptio.

QVid mirum? seu pastor ades, seu potor, ad auras
Si venit hinc parca Nais iniqua manu.
Aret humus domini præ magno pectoris æstu,
Dum flammas pennis ventilat acer Amor.
Hinc exire timet Nympha, hinc latet, ipse sed vndas
Si cupis, hinc dominum pelle, & habebis aquas.

De Iano fœneratore mox poëta.

IAnus vbi hos illos nudauit fœnore, Musis
Furta parans, nullo scripta pudore rapit.
Nec vos Pierides mouet hoc: potuisset adulter
Si foret hic, vestra virginitate frui.

In Palmerium.

QVòd sis pollicitis largus, quòd rebus auarus,
Proficiant nulla quòd tua verba die,
Palmeri haud miror, quando huc te misit Idume:
Aequè homini, ac patriæ est insita conditio.
Floret Idumæis vberrima palma viretis,
Non fœcunda Italis hospita surgit agris.

De Mannio Nucerino.

IN Veneris pugna reperit cum patre sororem
Mannius, atque vnus strangulat ipse duos.
Mox ait. infandum facinus testaberis Orco,
Tu, quia passa patrem; tu, quia nata tibi est.

Ad Luciam.

DA mihi te totam mea Lucia; da, rogo, tot mi
Suauia, quot Charites, sunt Veneresue tibi.
Da mihi posse manu niueas tractare papillas,
Brachia & optato condere nostra sinu.
Sed quid ego? aufugit mi animus, tecumq; moratur:
Ad nos nec cura est amplius vt redeat.

De Taurino decoctore.

TAurinus patrijs nuper decoxerat oris,
Infidæ toties ira, iocúsque Deæ.
Fugit ad extremos Indos nouus incola, vitam
Posse nouam sperans degere in orbe nouo.
Fata sinunt: mutat mutato incommoda cælo,
Diues quàm paruo tempore, nuper inops.
Mox remeans patrijs tandem cum sisteret oris,
Dimensus longi magna pericla maris;
Ecce Cilix spoliat miserum, nudúmque relinquit,
Estque iterum paruo tempore factus inops.
I, fuge vim fati: fugias quocunque, sequetur.
Nusquam tuta fuga est: inuia nulla via est.

De Nisa ad Auroram.

DEsine purpureos coniux Tithonia vultus
Pandere, quid nobis lux tua? quidue dies?
Nisa oculis noctem remouet, pellitque tenebras:
Una oculis lucem præbet, & vna diem.

Ad Carolum V. Cæs. de Prospero Columna.

QUid tibi rex geminæ? geminas iam linque colum-(nas.
Bis tibi plus vltra hæc vna Columna dabit.

In Bonam.

QUòd Bona dicaris, falsò bona nomina iactas:
Non bona, crede mihi, corpore, non animo es.
At bene quòd semper Ueneris mala munera tractes;
Hinc bona, crede mihi, cætera tota mala es.

Isabellæ Aragoniæ triumphus.

ISabella rosas inter dum lassa quiescit,
Lassa homines dudum, lassa ferire Deos:
Credit eam Venerem, tacitis circumuolat alis,
Non ausus somnum rumpere matris, Amor:
Non tantùm tamen abstinuit, quin lumina adiret,
Hinc ratus ipse nouas posse animare faces:
Dúmq; genas nimis ala premit, somno excita tentat
Prendere: sed se oculis virginis abdit Amor.

Minuti tumulus.

Cùm genere, ingenio, fortunis, corpore paruum,
  Fecissent dominum fata maligna loci,
Condier exiguo mandauit marmore: sic se
  Huius ab exemplo noscere quisque potest.

Ad Luciam.

Nil mirum, rides medio si Lucia fletu:
  Hoc est, quo miserum me magis excrucies.
Sic Aurora micat, dum ros per gramina manat,
  Sic Phœbus medijs imbribus ipse nitet.

Ad Io. Franciscum Rotam fratrem.

Cùm tibi vix cœptæ Mors fregit stamina vitæ,
  Spicula Mars fregit, spicula fregit Amor.
Nec non flere Deos homines si credere par est,
  Ad tumulum hæc flentes dicta dedere tuum:
Magnus Amor, magnus Mauors viuente Rotilo,
  Nulla Deûm extincto gloria, nullus honos.

Ad Nisam.

Dicebas mea Nisa credituram
Nunquam te miseros meos amores,
Etsi me aspiceres mori misellum:
Nunc, quòd spiritus ipse iam reliquit,

Versásque in cineres vides medullas,
Affirmas mihi cuncta credituram,
Et veros nimium meos amores:
Quin dicis nimium esse me misellum.
Verùm credulitas quid hæc iuuabit?
Si non pœnituit mali peracti
Eheu nil pietas iuuat sepultum.

Nilus marmoreus Parthenopen alloquitur.

QUid tibi cum Nilo Siren male blanda? canentem
Te dudum fugiens terra ego delitui.
Infensi ciues cur me prompsistis, ut eheu
Cogerer inuitis cernere vos oculis.
Quis bene discordes animos, quis barbara iussa,
Tempora quis ferro deteriora videt?
Obruite ò ciues, Sebetho aut mergite, ni mox
Discetis læsi numina quanta Dei.

Eiusdem abitus.

NIlus abit, licet ipse senex, licet ipse minuta
Parte lapis, trunco sit licet ipse pede.
Urbs mihi culta vale: tecum male viuitur vltra.
Fœmineum imperium quis bene ferre potest?
Crede Deo: euentus docuit Cleopatra futuros.
Semper enim infauste fœmina bella gerit.

Ad Berardinum Martiranum.

MArtirane tui decus immortale poëtæ,
Cui dedit arbitrium pater vni

Virginei Phœbus laticis; cui serta virenti
Fronde legunt redolentia Musæ;
Musæ; quæ tibi me sic deuinxere, vt iniqua
Vix poterit Lachesis resecare
Stamina, concordi quæ iunxit Gratia nodo,
Mansura ad cinereś quoque, & vltra;
Quæ cœpere tuam tam longa obliuia mentem?
Quæ tibi nunc mala gramina Circe
Miscuit? aut triplici quæ detinet ore Chimæra
Ad patrios rediture penates?
Nam licet ipse geras Curios, licet ipse Catones
Mille animo; imperium tamen olim
Vidimus infidæ lacrymantem ferre puellæ,
Ac tristes te fundere questus.
An ne tuo residet magnus qui pectore Cæsar,
Cæsar deliciæ, atque amor orbis;
Qui virtute auro ditat noua secula prisco,
Huc supero demissus Olimpo;
Optatos differt reditus, optata retardat
Gaudia? in hoc tantum minimè æquus.
Anne cadauer iners passæ tot funera Romæ
Detinet incassum sacra busta
Mirantem, atque vrbis magnæ simulacra dolentem
Largo non sine flumine fletus?
An ne alia euinxit valida te compede Nympha,
Nympha comis, oculisque beata?
Quam pater vsque imo Tyberis suspiret ab antro
Fontibus in medijs male flagrans.
An Bembus Veneta historia? vel carmine Molsa?
Quos penes est animus meus omnis;

Quos

Quos absens video semper, quibus & mea sæpe
Carmina grata, licet iuuenis sim;
Te retinent lentum procul à felicibus hortis
Leucopetræ à nitidis procul undis,
Leucopetra est, syluis qua non formosior ulla,
Quæ toto non æquore Nympha:
Quæ tibi non tantum violas, mollésue hyacinthos,
Non quicquid lætus parit annus;
Sed lectas etiam vicino è litore conchas
Seruat amans, vni placitura.

De Laura Rota sorore.

DUm pia turba parat lacrymas, dum spectat adem-
Quid faciat nato perdita Laura suo; (pto
Ipsa vbi vix animam retinens legit ore supremo
Oscula, sic fatur. qui dedit, hic rapuit.
Quisne vni huic igitur Spartanas, quisue Sabinas
Conferat? has charitis vidimus, hanc oculis.

Ad Perafanum Riberam,
Principem optimum.

VEré opus egregium, te magno et principe dignum,
Relliquias prisci temporis excolere;
Et statuas animare, vorax quas perdidit æuum,
Truncáq; natiuo reddere membra loco.
Hoc deerat Perafane tuis illustribus actis,
Esse æquum, esse pium te quoq; marmoribus.

Ad

Ad eundem.

COnspicuas statuis ornare insignibus ædes,
Hoc est æquoreis addere flumen aquis.
Nam quis te veterum maior, quis clarior Heros?
Ornantur domino satque superque suo.

In maginem Victoriæ Columnæ Piscariæ.

QuæDea? cui tantus decor est? quam Dædala pin
Dextera, quæ muta viuere dat tabulæ. (xit
Num forte est, nigro dum sic bene fulget amictu
Cynthia? cùm fusca lucida nocte micat.
An Venus hæc potius iuuenis mœstissima fato,
Cùm sæuus tenerum perculit inguen aper?
Cynthia non nobis, non sic Venus ipsa videtur:
Cynthia sed tamen est, & simul ipsa Venus.
Hæc referens vtranque Deam Victoria sola est:
Quæque sit, hæc poterit vel Dea picta loqui.

Ad Mirinam.

MIra animo, mira es forma, Mirina fatemur,
Mira agis: hinc miro numine nomen habes.
Das lacrymas, flammásque simul das tempore in vno,
Vtq; abeam in latices, útq; abeam in cineres.
Stillat ab igne liquor, lacrymis nutritur & ignis:
Ne peream, hoc varia est conditione malum.

Vis ne

Vis ne igitur moriar? vis soluar compede? deme
Alterutrum: sic tu læta, ego liber ero.

In Lunam malum poëtam.

VT *Parcas, bellum, lucos, letumq́ solemus*
Dicere mendaci nomina ficta ioco:
Sic quoque te Lunam credam dixisse parentes,
Luna vel infernis noctibus atra magis.
Crediderਾas lucem perituris tradere chartis,
Cum longis miseras obruis heu tenebris.
I, Stygias, i pelle vmbras male lucida Luna:
Hic cupimus noctes te sine perpetuas.

Ferdinandi Primi Neap. Regis.

F*Ernandus fueram felicis conditor æui,*
Qui pater heu patriæ, qui decus orbis eram:
Quem timuere duces, reges coluere, breuis nunc
Vrna habet: humanis i, modo fide bonis.

Ferdinandi Secundi.

H*Eu quando mors sæua adeo mortalibus vnquam?*
Heu quando tantum fata dedere mali?
Flos Regum Fernandus adit dum prima iuuentæ
Limina, Romanum dum superatque decus;
Mors gremio Italiæ florentem surripit, ulla
Ne moriente illo spésue, salúsue foret.
Et querimur nos morte rapi, nos cedere fato,
Quando etiam assuescant numina & ipsa mori.

Federici

Federici Neap. Regis.

INfelix Federice, dolis data præda tuorum,
Quis poterit fati non meminisse tui?
Quandoquidem immerito sceptris spoliatus auitis
Occidis, & profugum barbara terra tegit.
Heu sortem indignam: quæ sustinuisse cadentem
Debuerat, stantem perdidit illa manus.

De Carolo V. Cæs. & Francisco Gallorum Rege.

GAllus vt armatas molirier vndique pennas
Vidit auem, magno quæ gerit arma Ioui;
En maris, en terræ fuga iam præclusa. quid ergo
Restat ait? cælum num quoque habet volucres?

Apud Villam Faustinianam.

VAlle sub hac tenuis calamo contenta poëtæ
Musa veni: est vallis vocibus apta tuis:
Donec vicinus poterit dare commoda collis.
Sæpe habuit paruus numina magna locus.

Ad Antonium Sebastianum Minturnum
Crotoniatarum Pontificem.

LInque iam vulgi strepitum profani:
Linque ventosam patriam forumq;:
Viue nunc paulum tibi: pelle & atra
Nubila mente.

Aegla te ad mensam viridem reposcit,
Pauperes ad diuitias agelli.
Diues est multis epularum ad vsum
Hortulus herbis.
Est mihi, quamuis gelido December
Imbre tellurem penetrarit imam,
Est, licet flatu rigeant perusta
Arua niuali, (tis
Multa vis florum, atque olerum: est in hor-
Angulus, quem nec pede Faunus vnquam
Conterit, per dum sequitur Napaeas
Florea prata.
Est mihi eruca, est mihi menta, quae iam
Suscitent tardam Venerem, ac palatum:
Est & in primis patrijs amica
Brassica campis.
Nil nocens caepa est: male nil olenti est
Allium fibra: poterit puella
Quod pati, haud sponda recubans suprema,
Quod simul esse.
Sunt mihi (quamuis penus omne nil sit)
Multa durati sale terga porci:
Est capus passa bene fartus vua,
Est tener hoedus:
Quem manus nostri rapuit coloni
Matris à pingui modo lacte, nunc &
Paruus (haud fallo) mihi verna odoro
Gramine pascit.

Quin

Quin licet plenus mihi non vetusti
Sit cadus Græci, neque sit Cirellæ,
Nec Masaquana mihi blanda, nec sint
Vina Vesevi;
Sunt tamen quæ Pausilypus dat, & quæ
Dives arbusti mihi Faustiana
Mittit antiquo lare, culta ruris
Nympha paterni.
Et quod est mensæ magis ociosæ
Dulce, quod carum magis est amicis,
Læta frons, salsus lepor, apta castis
Gratia verbis
Condient mundo tenue apparatu
Prandium: quis scit, tibi si futura
Fulserit lux? vive hodie, manet cras
Flebilis vrna.
I puer, quis nam retinet? reposta
Ligna (iam poscit focus) adde, mox &
Affer in primis mihi grata magni
Carmina Flacci.

Pyrrhi Camerotani pietas.

Dum Palinure tuas rapitur Montana per vndas,
Heu Cilicum dira præda subacta manu:
Evolat ad gemitum Pyrrhus, raptámque secutus
Non dubitat matris vincla subire suæ.
Dúmque natat pietate celer, pietate fit audax,
Stratáque iam faciles præbuit vnda vias:

Reddita tum mater, natus noua præda relictus,
Sensere & miseram libera colla vicem.
Præclarum pietatis opus: dum seruus haberis,
Liber es, & victus vincere Pyrrhe potes.

Pro Scipione Gennario amico.

Vidit ut illisam scopulo fregisse carinam,
Ac socium irato vix superesse mari;
Tyrrheni Lycidas piscator litoris, vt tum
Retia forte imis plena trahebat aquis;
Hæc Neptune, inquit, tibi do seruatum ob amicum,
Munera, lina, hamos, vimineásque casas.
Sic votum est: alij posthac tua regna lacessant,
Squamigerúmq; agitent vda per arua gregem.
Dixerat ille: fremens totis Deus annuit vndis,
Térque sonum pelago fuscina mota dedit.

In Scalam.

Cum moriens circum flentes spectaret amicos
Scala, tui in primis gloria Bacche chori,
Ecquid, ait, fletis? nequicquam fletis amici,
Vos mihi pro lacrymis fundere vina decet.
Posthac Elysios habeat sibi, qui volet, agros:
Styx mihi cara magis, si modo vina ferat.

In eundem.

Linquere vinosos properat dum spiritus artus,
Plus vini inferi nis manibus esse ratus,

Scala illum exoptans reuocare, immergite vino
Corpus ait: constat spiritus ipse mero.
Nec plura. en subito patera est allata cubanti:
Atque anima in vinum, quo prius orta, abijt.
Tu quicunque sitis, posthac mala vina caueto:
Non vinum, ast hominem, si bibis, ipse bibes.

In eundem.

MArmora sint alijs, præcingant busta coronæ,
Mutus & Eoo spiret odore cinis:
Mi cadus est tumulus: crateres busta coronent,
Annoso madeant ebria membra mero.

Lycidæ iuuenis iocus.

QUæ sunt, quæ roseis spirant mea Nisa labellis,
Heu bona nata meo sátque, supérque malo?
Hinc color exuperat Pæstana rosaria, & illinc
Stillat, cui similem non habet Hybla, liquor.
Quinetiam præ illis Veneres, Charitésq;, & Amores
Crediderim patriam posthabuisse Paphon.
Atque ego cùm faciles furtiua per oscula lusus
Experior, raro etsi datur id misero;
Tum me animus linquit dulcedine captus amica,
Mox iterata animum basia restituunt.

Ad Petillam.

NEscio quem fama est ne ferrea secla videret,
Exeruisse sua lumina cara manu:

Sic vbi te noui mutata mente Petilla
Venalem pretio deseruisse fidem;
Debuimus, quæ te spectarunt lumina primùm,
Ne te ipsam aspicerent amplius, exerere.

In Plactum.

PLacte nihil debes, nil debes Placte fatemur:
Debet enim, si quis soluere Placte potest.

Tumulus Dauali Piscarij.

QVid sceptra ad tumulum? vincti quid compede (Reges?
Quídue tot inuicta parta trophæa manu?
Quid galeæ, quid scuta nitent? quid pila? quid enses?
Quid viret æternis laurus amica comis?
Num Mars, an Daualus tumulo iacet? hic situs ille est
Heu Daualus, quin Mars cum Daualo ipse iacet.

Iocus furentis.

SVauia quot tibi surripio mea Lucia tot sunt
Vulnera, Apollinea non medicanda manu.
Suauia quótque mihi tu non inuita retorques
In me tot saeuus spicula torquet Amor.
Spicula figat Amor, stillent iam membra cruore,
Dum modo surripiam suauia, & accipiam.

In funere Saluatoris Rotæ fratris.

HAud querimur, quòd nos lacrymis, tenebrisq; relin- (quas,
Quódq; abeas gremio tam cito rapte meo:

At

At querimur tantùm, ſine te quòd viuimus: hoc eſt.
Quod facit æterno velle dolore queri.
Tu longæua ſatis vixiſti tempora: quando
Tempora ſunt meritis, non numeranda die.

De Phauſina Niphi.

PVlchra nimis vehitur roſeis quæ Dia quadrigis
Phauſina humano lumine pulchra nimis.
Vtraque luce orbem exhilarat, lucémq miniſtrat:
Hoc differre tamen credere vtranq; decet.
Illa olim iuuenem potuit vix flectere amantem,
Hæc etiam gelidum perdit amore ſenem.

De eadem.

NIl mirum ſi Niphus amat, ſi deperit vnam
Auroram inſueto perditus igne ſenex:
Nam fatis cautum eſt, terris excludat vt vnum,
Vtq; alium cælo diligat illa ſenem.

Epitaphium Hylli.

HYllus erat, nunc puluis iners: mors vita ſed illi
Venit: erat nihilum, nunc tamen eſt aliquid.

De Mergillina Actij.

QVicunque Aonio perquiris vertice Muſas,
Quære aliò: hinc abeunt, hoſpitium eſt aliud.

Mergillina tenet felici litore: tu si
Quæris eas, montem desere, litus adi.

Ad amicos Romæ degentes.

GUide, Cæsari, Capilupe, Palon
Quos penes viuit mea mens, & omne
Quicquid est nostri reliquum, valete:
Cogor abire.
Iam vale ò sacri pater alme fontis,
O triumphati caput orbis, ò qui
Ducis à cælo Tyberine magni
Fluminis ortum.
Me vocat Siren patrias ad vndas,
Dulcis ad notos scopulos arenæ
Me vocant horti Hesperidum, perenni
Flore nitentes.
Me Rotæ gratos vocat ad recessus
Aegla curarum requies, parátque
Quæ meis lauros faciant virentem
Crinibus vmbram.
Iam vocat me Pausilypus, canenti
Plaudit & clari tumulus Maronis
Me vocat toto veneranda Mergil-
lina profundo.
O vale tandem mea Roma, iam te
Quæ solent curæ teneant inanes,
Me iuuet semper vacuum serenas
Ducere noctes.

Me iuuet cantu reuocare ab imo
Aequore ad litus liquidas sorores,
Dum vehor Tuscis per amica primus
Cærula remis:
Dúmque piscantum varios amores
Cantat ad parui leue murmur amnis
Musa, & æternis studiosa tentat
Viuere chartis.

De Nisa; & Venere.

TEla reperta tui viridi sub gramine nati
En tibi Nisa Venus cortice fixa dicat.
Tu modo ne puero (nulli scit parcere) reddas:
Ni facis, ipsa iterum fabula turpis eris.

Minerua ad Cosmum Medicen,
Magnum Hetruriæ Ducem.

SEu pacem, seu bella geras Dux inclyte, semper
Tecum adsum ætherei vertice nata Iouis.
Me tibi dat comitem tua virtus: linquere Olympum
Tu facis. an posset plus pater in superos?

In obitu Octauij Pappacodæ.

DUm se se ostentat miles, Mars glande corusca
Heu iuuenem matris percutit in gremio.
Quis fatum fugiet? fugientem saeuius vrget:
Quas uolet inueniet mors inopina vias.

De Lucretia Brancia matre.

PRo patria ut uidit perculſum vulnere natum
Brancia, præſtanti pectore ſic loquitur.
Non lacrymis te nate ſequar, ſed te ſequar eheu
Mente, animo: hæc tibi do, cum dare plus nequeam.

Ad Io. Baptiſtam Arcucium.

VIuet Arcuci, mihi crede, viuet
Carmen iuuita Lacheſis ſeueræ
Dextera, inuito nimium voracis
Temporis hauſtu.
Sperne fatorum inuidiam obſtinatam:
Quid mihi inuiſi tenebræ ſepulchri?
Surget extremis cineri fauillis
Fama ſupeſtes.
Te colunt Muſæ, tibi plaudit antrum
Aonis, caſti fluit vnda fontis,
Ima ſat nobis potuiſſe ſaxa
Lambere Pindi.

Ad Rodulphum Pium Cardinalem.

INſignis pietate Heros, ſi dira Celæno,
Si percuſſa tua corruet Hydra manu;
Si cernam valido deuinctum Protea nodo,
Qui nos inſuetis ludit imaginibus;
Non te marmoreum Tyberina ad flumina ponam,
Sed viuum noſtro pectore numen eris.

De

De Georgij Montij interitu.

AH fatum infelix, ludens cur Martia pubes,
Cùm dare credideras gaudia, das lacrymas?
Aenea glans celeres volitans ignita per auras
Incauto iuueni funera cæca tulit.
Parcite: quem petitis, non est inuisus Adonis,
Seu Vulcane paras, seu male Mars facinus.
Ingenio excoluit Pallas, Cyllenius arte:
Quò ruitis? vestrum est perdere turpe genus.

Ad Antonium Caracciolum Saluatoris filium.

SOluimur in lacrymas, cùm findit Sirius agros,
Liquimur in flammas, cùm premit arua gelu.
Quinetiam medio prorumpit Nilus ab æstu,
E que meis lacrymis Aetna alia exoritur.
Nec liquet inter aquas, quæ sit noua causa caloris,
Nec cur perpetuo manet ab igne liquor,
Antoni, cui notus Amor, mihi consule: cur sic
Fons abeam in flammas, flamma abeam in lacrymas.

Ad Decium Serium.

SAt tibi mi Seri discordas nomine, cum sis
Serius haud vnquam, semper at ipse iocus.

De Donato Antonio Altimaro medico insigni.

VIderat Altimarum medica Mors sæpius arte
Mortales manibus surripuisse suis.
Inuidit, gemuitque furens. mox mala veneno
Imbuit: ille vorans Tartara penè subit.

Phœbus at immeritum nigro reuocauit ab Orco,
Ne simul humanum perderet ipsa genus.

De Amore marmoreo dormiente.

CAptanti somnum ne credas hospes Amori,
Cùm dormit, magis est ad tua damna vigil.

De eodem.

Quid si marmoreus? quid si super arma recumbit?
Idem marmoreus, idem & inermis Amor.

De eodem.

Ne credas puero, simulans nam claudit ocellos,
Nulla fides puero, si sapis ipse caue.

De eodem.

Dormiat æternùm, nẽ cures rumpere somnum:
Experrectus agit fortius arma puer.

De eodem.

Somniat assuetas cædes, rixásque, dolósque:
Cum dormit malus est, cum vigilátque malus.

De eodem.

Iactat adhuc flammas, letales dirigit ictus,
Dum paruo incisus marmore dormit Amor.

De eodem.

Si tu iterum tractes, dices, ita spirat imago,
An ne anima est marmor? marmor an est anima?

De eodem.

Hunc credam potúmque merum, pastúmque papauer,
Cùm tuba nec somnos excitet vlla suos.

De eodem.

Quantumuis stertat, quantumuis lumina claudat,
Non credam, iuret tela, facésque licet.

De eodem.

Ad gemitum dormitat Amor: lamenta, querelæ
Sunt illi cantus, sunt gemitus citharæ.

De eodem.

Pelle puer muscam, quæ tentat rumpere somnum:
Cum requiescit Amor, tunc requiescit amans.

De eodem.

Lassus Amor dormit, ventos agitare flabello,
Ne pigeat, pugnæ membra labore calent.

De eodem.

Carpe iter ò tacitus, leuiter vestigia tende,
Pæniteat, si te sentiat ipse puer.

De eodem.

Surge Amor en medium Titan conscendit Olympum
Laus est peruigilem surgere ad arma ducem.

De eodem.

Dormit Amor? dormit, somnum ne rumpere tentes:
Pertimuit vigilem fingere Praxiteles.

De eodem.

Marmora quando animat, dormire & marmora cogit
Uni Praxiteli cedimus, inquit Amor.

De eodem.

Nescio Praxiteles dixit, num spiritus hoc sit
Marmoreus, num quod fingo animata silex.

Iocus.

SIue Dryas, seu Naisades, lege carmen amicum,
Haud risu indigna est res, mihi crede, nouo.

Dormieram

Dormieram, aggreditur Veneris puer, excitor armis,
Dum tractat tenera tela cruenta manu.
Pone arma, exclamo: tecum quis dimicet armis?
Mox puerum apprehendi, detinuíque sinu.
Ille fugit, matríque refert, sed mater ab vlnis
Reiicit: optato Mars aderat gremio.
Tum puer in matrem regerit conuicia, mater
Verberat: ad gemitum conueniunt superi:
Quos inter præceps currit Vulcanus, & amens
Labitur, hinc pedibus claudus vtrisq; iacet.

Ad Antonium Auriam.

MAgne senex, vasti cui parent regna profundi,
Seruit & æquorei cærula turba chori,
Auria tu dici, seu mauis Doria vtrunque
Conuenit, ipse parum tu modo verte notas,
Seu, te quòd decorent ingentia & aurea facta,
Siue, quòd ex ferro hæc aurea secla facis.
Seu, quòd sit mater Doris, vel Adorea, certent
Mille triumphati quæ dare serta maris.
Viue senex victor, Neptuni quem decet vnum
Fuscina: dum viuent æquora, viue senex.

Ad Marium Galeotam.

QVas Charites pictis violas iunxere corollis,
Quas Venus auratis implicuítque comis,
Quásque rigauit Amor, lacrymis quas lauit amantum
In primis lacrymis mi Galeota tuis.

Ecce ferus subito fœdatis vnguibus Vrsus
Colligit, intactum dedecorátque decus.
Deceptum agricolæ semper genus: i, cole flores:
Quas meruit violas Iuppiter, Vrsus habet.

Ad Gellam.

ESse Deos, meritas scelerúmque reposcere pœnas
Tu satis exemplo es perfida Gella tuo.
Nempe doles dentes: num forte impune putabas
Semper amatorum corda comesse hominum?

Poetæ picti ad Serenos academicos.

SEruate æterni vestigia nostra Sereni,
Reddat vt hic pictos vos quoque posteritas.
Qui fauit nobis, idem nunc regnat Apollo:
Quæ fuit, est eadem nunc Heliconis aqua.

In funere Io. Baptistæ Actij, Tertiæ domini.

Actius & Phœbus, Syncerus & Actius alter,
Actius hos inter Tertius ipse micat.

De eodem

QVod tua dilectæ placuissent carmina Lunæ,
Nempe tuo fas est credere ab interitu.
Perpetuo retinet sopitum te Dea somno:
Endymiona breui tempore restituit.

Epitaphi-

Epitaphium Thomasii Duri, & Iuliæ Rotæ coniugis.

FElices, quibus vna fuit mens semper, & vna
Quos tulit hora, simul quos lapis vnus habet.

Ad Franciscum Pasqualinum, de Iacobo Puteo Cardinali.

PAsqualine, sacri Putei cælestibus vndis
Si dabitur longam pellere posse sitim;
Tunc mihi non puteus, verè sed Castalius fons
Ille erit, & putei nectaris instar aqua.

In caput marmoreum.

INdicat ante fores adaperto marmor hiatu,
Accensum dominum sanguinis esse siti.

De Andrea Rege, laqueo interempto.

ANdream regem immeritum mala strangulat vxor,
Mox vili imprudens condit alumnus humo.
Connubium infelix, pietas nimis impia: vtroque
Læditur. hæc laqueo strangulat, hic tumulo.

Amoris serui tumulus apud Rotam Villam.

SErue Amor, hortorum custos, dominique volu-
Hoc te sublimem constitui in tumulo: (ptas

Ut quæ tanta fuit viuenti, hæc ipsa sepulto
Incustoditi sit tibi cura loci.

In aurum.

SEu quòd formidet fures, seu criminis aurum
Quòd pœnam fugiat, pallet & vsque latet.

Epitaphium catelli.

LAtraui ad furem: tacui, cùm venit amator:
Sic & hero placui, sic & heræ placui.

Ad Decium Serium, de Lucretia Tusca.

TUsca pudicitiæ renouans Lucretia nomen,
Cùm foret hostili præda petita manu,
Præcipitat primùm se se de culmine tecti,
Ne læsus caderet virginitatis honos.
Atque vbi iam nouit frustra cecidisse, propinqui
Arni ponte ruit, nec pia mersit aqua.
Ecquid, ait, poteróne mori? moriamur, & vndis
Obruit inuictum térque, quatérque caput,
Cedat Seri igitur Tusca Romana puella.
Utraque casta: sed hæc ter cadit, illa semel.

Quinterij tumulus.

QUintus adhuc tumulo lites intendit, & omnes
Cum Quinto lites, insidiæq; iacent.

Tu fuge quisquis ades: vereor, ne te quoq; fallat:
Dum legis, insidias ossa sepulta parant.

In turri apud Faustinanam villam.

H*Uc fugite ò Dryades, dominus loca tuta parauit:*
Ne vos, dum sequitur, Pausilypus rapiat.

Antonius Epicurus Scipioni filio soluit inferias.

Q*Uas tu debueras lacrymas mihi nate parenti*
Quæ iuuenis misero soluere iusta seni;
Heu tibi fatorum non æqua lege parani
Infelix simulacrum, vmbráque mœsta pater.
Et quando semper mecum tua viuet imago,
Sit tibi pro tumulo mens, animúsque patris.

Portunus de Cæsare nauigante.

N*Usquam abero, donec victorem litore sistam,*
Qua sol Eoos lustrat & Hesperios.
Cede pater Neptune: vni parere necesse est.
Terrestri posthac seruiat vnda Deo.

De Petro Gambacurta.

O*Hymen roseas para corollas,*
Accende ò faculas Venus gemellas
Perlustrans Paphio domum liquore:
Gambacurta venit nouus maritus,

Currit

Currit ad thalamum salax, procáxque:
Verum somniat, haud canit Poëta,
Non non ipse potest maritus esse,
Hostis qui thalami impotens, & acer
Gaudet cælibe rex, deúsque vita:
Gambacurta frequens puellarum
Sectator, colit aula quas beata,
Quas comptus niueus, nitórque mollis
Nutrit perniciem in malam aulicorum,
Gambacurta iocus puellularum,
Totus delitiæ, facetiæque;
Quin totúsq; puella, totus aula.

Vetula de tumulo loquitur.

QVæ vaga per colles currebam, pérque lacunas
Non contenta vrbis ire, redire vias,
Vetula bigarum labor, indefessa pedúmque
Tempestas, vix hoc marmore detineor.
Ne tollas lapidem: si tolles, ipsa resurgam
Bigarum ad cædem, perniciémque pedum.

De Cælio Magno Veneto.

AReat omnis ager, lacrymans si Caelius adsit,
Aridus humescet protinus omnis ager,
Humeat omnis ager, suspirans Caelius adsit;
Humidus arescet protinus omnis ager.

In Poëtam fugientem.

HOstis adest, litúsque tenet, tum veste relicta
Ad montem fugiens scripta poëta rapit.
O mens cæca hominum, series præpostera rerum:
Crede mihi, melius perdere scripta foret.

Ad Franciscum Plantedium.

PLantedi procul hinc Catonianum
Sit supercilium, & Sabina ruga:
Quis neget iuueni iocos poëtæ?
Quis neget fatuæ iocos iuuentæ?
Licet desipere in loco: & iocari
Interdum licet, ac furens videri.
Lingua mi blaterat, ruit, rotátque,
Lubrico vt rota currit acta cliuo:
Præceps labitur in profana verba,
Persæpe & vomit id, quod ipse nolim.
Hinc me pœnitet esse sic locutum.
Obscænus calamus, pudens voluntas.
Parcendum iuueni semel poëtæ,
Parcendum fatuæ semel iuuentæ.

Ad Iulium Cæsarem Caracciolum compatrem.

AN manus vlla tua teneros descripsit amores
Compater, ánne iocos dulcius, ánne sales?
Sis modo ne chirager, podager sis vsque licebit,
Nam pede non scribis, scribis at ipse manu.

In Nellum Gallum.

SCrutatur statuas, scrutatur carmina Nellus:
Iactat vtrunque miser, nescit vtrunque miser.
Infelix censor statuarum, & carminis idem,
Quàm male cum statuis, carminibúsque tibi est.
Felices statuæ, felicia carmina, felix
Ipsa domus, cui non sensus, & auris inest.

De P. Paulo Riccomanno, & Alfonso Tamasio.

HUc huc hendecasyllabi trecenti,
Quos Riccus meus, & meus Tamasius
Promunt ingenio, rigántque chartis:
Huc piæ lacrymæ, poténsque fletus:
Huc huc illecebræ, precésque blandæ,
Ira Lucia sæuit impotenti.
Nunc opus lacrymis, potente fletu,
Nunc nunc hendecasyllabis trecentis,
Quos Riccus meus, & meus Tamasius
Promunt ingenio, rigántque chartis.
Verùm si miserum parum iuuabunt,
Ira & Lucia sæuit impotenti,
Valete ò lachrymæ, poténsque fletus,
Valete hendecasyllabi trecenti.

Ad Ioannam Argoniam

Cùm modo conferrent tibi tradita munera, Phœbo
Iudice (sic placitum est) Iuno, Minerua, Venus:
Diuitias

Diuitias Iuno, formam tribuisse Dione,
Iactat & ingenij Pallas amica decus.
Cedite ait potius Phœbus, lis omnis abesto;
Una Aragona vna est Iuno, Minerua, Venus.

Ad Franciscum Pasqualinum, & Hippolytum Capilupum.

SI vos tuta meis fulsistis signa procellis,
O animæ illustres ore, fide, ingenio,
Pasqualine mei pars, & Capilupe laboris,
Quis neget esse nouos uos mihi Tyndaridas?

Ad Hadrianum Gulielmum.

VRor, amo, excrucior, diuellor, saucior, odi,
Surripior, iactor, restituor, taceo,
Irascor, fugito, sileo, queror, insequor, opto,
Despero, spero, decipior, metuo:
Hæc in amore meo sunt mi Gulielme, nec ipse
Heu morior, cùm iam viuere desierim.

Ad Io. Baptistam Portam.

CUm dormit mea Nisa Venus, Venus ipsa videtur
Cùm vigilat: semper sic mea Nisa Venus.
A Venere hoc tantùm differt. prece Cypria quondam
Victa fuit: non hæc sanguine, non precibus.
Quid faciat, mi Porta, tuus Rota, consule: quando es
Ipse Dionææ pars bona militiæ.

Ad

Ad Hieronymum Ruſcellium.

SCribis, ego vt ſcribam: non eſt, quod ſcribere poßim
Ruſcelli, Aoniæ riuule dulcis aquæ:
Iußit Amor reticere diu, ne forte triumphum
Quem de ſe retulit Lucia, detegerem.
Méne igitur poteris ſeruum damnare ſilentem,
Qui premar imperio, quo premitur dominus?

De Pallade & Baccho.

VNdique ſeptam oleam vidit pendentibus vuis,
Et riſum ſimulans talia Pallas ait.
Nulla Lyæe tibi ratio cum Pallade: nam tu
Ebrius, inceſtus: ſobria, caſta ſoror.

Ad Iordanum Paſcaſium, de
Mariano agro in Marſis.

DIC, niue cur media vireant ſata læta Marani
Paſcaſi vatis pars adamata tui?
Dant lacrymæ pluuiam, ſuſpiria noſtra calorem:
Eſt Amor, eſt noſtri temporis agricola.

De ſe ipſo, & Amore ſeruo.

SEruit Amor domino, dominus cur ſeruit Amori?
Alter Amor dominus, ſeruus & alter Amor.

De eodem seruo Amore.

IMberbem puerum satis tenellum,
Castum, candidulum Deum putabam
Amorem, ac dominum omnium Deorum.
Ast Amor secus, atque ego putabam,
Repertus, genus Afer, impudicus,
Custos compede vinctus hortulorum,
Et qui seruiat omnibus colonis,
Cui pili obsideant genas rigentes;
Cui barba obrigeat viri iam adulti,
Non quidem pueri satis tenelli,
Est Amor secus, atque ego putabam.

Ad Nitedulam.

QVid circum volitas nocturna Nitedula sepem,
Fida comes nostri conscia propositi?
Siste parum, caræ dum nos ad limina Nisæ
Mittit Amor, tenebras luce repelle tua.
Quando vstum ingenti pectus mihi flagrat ab igni,
Nec vel tantillum luminis inde venit.
Siste procul tamen ipsa, meo ne forte calore
In flammas abeas túque, nemúsque tuum.

In præposteros mores.

ESt modo sancitum de muris busta reuelli:
Hoc asinum est per caudam & capere, et trahere.

O seriem

O seriem rerum inuersam. via recta terenda est:
Vellendi mores, non tabulæ, aut lapides.

Ad Camillum Paganum, de Marco
Antonio Columna.

OPtet Idumæas sibi quisque Camille columnas,
Dum Romana tuæ sit comes vna viæ.

Ad Ferdinandum Loffredum, Triuici dominum,
de Peraphano Ribera, Principe optimo.

O Lucullææ villæ, virtutis & hæres
Loffrede, antiquæ lux noua militiæ.
Dic qua voce feram Peraphani ad sidera laudes
Non sum qui tanti Principis acta sequar.
Quis vastum Oceanum rimosa claudet in vrna?
Innumeras stellas quis numerare queat?
Hunc quocunque tamen pinget mea Musa colore,
Sæpe orbem immensum parua tabella refert.

Ad Alfonsum Carrafam,
Cardinalem Neap.

Cùm simul in te vno splendescant ordine miro,
O iuuenis sacræ spésque, décúsque ratis;
Admirata olim quæcunque est docta vetustas,
De te quid dignè dicere quis poterit?
Tu satis vnus eras æterno carmen Homero,
Virgilio carmen tu satis vnus eras.

Mi sat erit spectare procul tua lumina, ceu quis
Eois Solem surgere cernat aquis.

Ad Phœbum, pro Paulo Quarto Pont. max.

Collis ò sacri decus, ò beati
Fontis, ò pulchri nemorisque custos,
Phœbe Musarum pater, ò perennis
Luminis autor.
Phœbe mundi spiritus, atque ocelle,
Quem dies circumuolitant, & horæ;
Qui soles ægros etiam nigranti au-
ferre sepulcro.
Desere argutæ iuga læta syluæ,
Linque iam suetas choreas, & vmbram
Arboris frustra olim adamatæ, & antri
Saxa canori.
O veni, ò dexter faueas, & affer
Quicquid herbarum, mediciue succi est:
Dum patrem sacrum retinet molesta
Febris, & vrit.
Ecquis ò Musis locus, ecquæ erit spes?
Nulla posthac gloria, nulla erit laus,
Si cadet, secum cadet ipse ab alto
Vertice Pindus.
Ecquem habebit relligio nitorem,
Barbara squalens scabie, relinquet
Ille si cæcis abiens tenebris
Obruta secla?

Carne,

Cerne, muscoso Tyberinus alueo,
Ut modo in ripam exiliens propinquam
Amne votiuam tibi pronus aram
Supplice ponat.
Te lyra iam posthabita precatur
Nobilis nunc Parthenope, vouétque
Iam nouos Siren numeros, nouóque
Pectine chordas.
Quin Maronis mox tumulo excitabit
Inclytam vmbram, carmine quæ superbo
Efferat Pæana tuum, canátque
Fortia facta.
Ut cute erepta in laticem ire cœpit
Impari cantu, imparibúsque fatis
Marsya, vt Titania celsa ab arce
Turba repulsa est.
Utque victrici cecidit sagitta
Anguis, vt Cyclops iacuit peremptus,
Ut coma intonsa niteas decorus,
Fortis & arcu.
Verùm ego innixus leuiore plectro
Daphnidis fatum referam, fugámque;
Et canam in flores pueros acerbo
Funere versos.
Aegla vbi ad nostros gemitus resultat,
Aegla iucundi mihi testis oci,
Sæpe quam gaudes alacris relicto
Visere Cyntho.

Laura Cossa soluit inferias
Ferdinando Rotæ coniugi.

LAurus eram viridis: sine te nunc arida quercus,
Fulmine sum duris Alpibus icta Iouis.
Quæ tamen ipsa mei reliqua est pars, sit tamen vlla est,
Illa iacet lacrymis vsque rigata meis.

In Mendaculum

NOn tibi non credam quicquam Mendacule men.
Et si mi iures astra tenere Iouem. (dax,
An tibi vis credam, tacito quæ pectore condis?
Cùm sint falsa tibi qualiacunque patent.
Sunt exerti oculi, sunt & tibi crura retorta,
Singula praua tibi, singula ficta tibi.

Ad Hadrianum Gulielmum, &
Io. Baptistam Portam.

ECquis te melius poterit Gulielme referre
Furtiuas scripsit quas modo Porta notas?
Ecquis item melius poterit te Porta referre,
Quæ Gulielmus habet signa vetusta domi?
Dat lucem chartis alter, dat viuere saxis
Alter: ita ingenio, vt sanguine, vtrique pares.
Alter vtrunque refert: sic vno nomine si quis
Alterutrum dicet, dicet vtrunque simul.

Ad

Ad Nigellam.

ANne Nigella times nitidum pallescere florem,
Quando humor vitam semper & aura dabunt.
Humor erunt lacrymæ, suspiria pectoris aura:
Nulla deficient humor & aura die.

Ad Paulum Suardum, de Trutta Marso.

QVòd Trutta in rapidũ præceps se miserit amnem,
Cuncta Suarde domi dum ferus hostis habet;
Naturæ ingenitæ vim tu mirabere? pisces
Est vetus in patrijs degere fluminibus.

In Serpillulum.

QVid tibi si minimum cogar nec credere verbum?
Est tua mendaci barba retincta nuce.
Téne vocem coruum, cum sis Serpillule cycnus?
Téne vocem iuuenem iam cariose senex?
Tunc adhibenda fides, cum tu verteris in illum,
Qui fueras: nuper (quis putet?) alter eras.

Ad Hieronymum Spinulam.

SPinula si placas animos, si pectora mulces
Ingenio leni, moribus ingenuis,
Non tu, crede mihi, spina es, quæ pungit & vrit,
Sed quæ perpetuis floret amica rosis.

Ad

Ad Beatricem Daualam.

AH tibi cur falsò nomen posuere Beatrix,
Si per te veniunt & lacrymæ & tenebræ?
Vix lucem extuleras, patriam vix luce bearas,
Cùm tecum extinctos mortua nos sepelis.

In hominem durissimum.

NE mirere hominem fictum de marmore, viuus
Marmor erat, nunquam saxeus ipse minus.

Ad Antonium Guidum Mantuanum.

VNde hyeme in media redolent violaria? & vnde
Terra viret? Veris possidet vnde decus?
An mi Guide domus superûm, Iouis ánne penates,
Dum peregrè terras hunc coluisse ferunt?
Hos superi posuere lares, domus vna Deorum est
Mantua diuini patria Virgilij.

De Diana, & Amore.

DUm modo fonte lauor venatu fessa, lauantem
Aggreditur iaculis me male cautus Amor.
Tela tuli, fregíque arcum, mox fracta per omnem
Seui agrum: sacræ parce viator humo.
Si nescis (Diana monet) tractare caueto:
Retia, tela, ignem semina iacta dabunt.

Miserrimi

Miserrimi tumulus.

INfelix vixi, tandem dolor ipse peremit.
Nescio cur vixi, sed scio cur perij.

Ad Nigellam.

VT quis per lucem quoquò vestigia vertit,
Ipsummet sequitur corporis vmbra sui,
Sic ego, sic mea lux quoquò vestigia vertis,
Te sequor huc illuc corporis vmbra tui.
Non ego, quod videor, certe sum: verum ego, quod tu es,
Sum miser: & parcis non tamen ipsa tibi.
Hoc est, me miserum, quod te sequar vsque vel vmbra,
Hoc est, quod memet nil fugere vsque iuuet.
Verùm vbi fata volunt à nobis te procul esse,
Nedum ego, quod soleo, sum vmbra, sed ipse nihil.

Ad Vincentium Cornelium, Osturiensium Pont. de Portucarero, & Garzia Ara.

NOn est, quod timeas praui contagia secli,
Cùm sit Corneli Portus, & Ara tibi.
Portus ab irato seruabit turbine rerum,
Aráque placatos reddet amica Deos.

In Lycium.

ORator Lycius, medicus, sophus, atque poëta:
Non ergo est vnum, quatuor at Lycius.

De Di-

De Didaco Daualo Cardinale Aragonio.

HAEc fuit Ascræis modo lex sancita puellis,
Phœbæa lauri cortice scripta manu.
Iam Daualum posthac vnum cantate poëtæ:
Unus erit cunctis carmen, & ingenium.

Ad Placidum Sangrium.

SAngri, quid pictor, quid viuos reddere vultus
Nititur, vt vana mens releuetur ope?
Pectoribus nostris viuet Mendocius heros,
Dum viuet recti, dum pietatis amor.

Ad Hyppolytum Capilupum, Fanensium
Pontificem.

DEnt aurum Capilupe alij, dent quicquid Eoo
Ad nos Hesperius litore nauta refert.
Plus dederis, si dulce dabis pro carmine carmen:
Ex animo tanti est quid dare, & accipere,

Ad Io. Franciscum Brancaleonem.
Medicum, & Oratorem.

Cùm media hybernæ resonent æstate procellæ,
Cum rigeant canæ flaua per arua niues;
Cur mirare fidem nullam mortalibus? ipsam
Non seruant anni tempora, & astra fidem.

De Fonte Varuareo in Marsis.

PEgaseos latices habeat sibi quisque poëta,
Dum mihi Varuarei copia sit laticis.
Ipse simul fecit validum, fecitque poëtam:
Haud cecini, haud valui: nunc cano, nunc valeo.

Ad Dionysium Athanasium.

ATHanasi Hadriacas vehitur dum Nympha per vn
Téq; oculis media torquet, & vrit aqua, (das,
Núncq; Thetis visa est, patrio nunc Cypria ponto,
Addita Nereidum nunc noua Diua choris,
Crede mihi in subitas abiissent æquora flammas,
Ni foret à lacrymis flamma perempta tuis.

De Hippolyta Gonzaga.

O Quibus inuita Lachesi dare munera vitæ
Ius datur, Aoniæ turba diserta Deæ,
Nectite, qua digna est, æterna è fronde corollam,
Et viridi Hippolytes cingite honore comam.
Dixerat hæc Phœbus: numeros cùm forte puella
Audiit, & reticens inuidia obstupuit.

In libellos editos à Paulo Manutio.

ELysij manes, quos nunc quoque cura fatigat,
Ne Latium sordes imbuat atra decus;

Dicite

Dicite, quas Paulo sedes, quæ serta futura;
Cùm vestrum felix incolet vmbra nemus?
Ille dat, excultis quæ sint imitanda libellis;
Squalenti quæ sint obsita verba situ.
Magna quidem pietas, fortunatique labores:
Roma secunda redit, barbara lingua silet.

Ad Aloisium Sancium.

SOl radios, mare præbet aquas, dant gramina flores:
Tu dulci Sanci dulcia dona animo.
Sol æstus, mare dat scopulos, dant gramina virus,
Nos & amaro etiam carmina amara animo.
Carmine pro dulci sic tu cape carmen amarum:
Sæpe solent varia dona placere vice.

Ad Ferrandum Dаualum Regij patrimonij Præfectum.

NEscio Ferrandus cur tu dicaris, ab ipso
Nomine sat differs moribus, ingenio.
Aureus est animus, dicta, & facta aurea, ferrum
Quid tibi? cum ferro nil, mihi crede, tibi est.

Ad Nigellam.

SI quis te spectat nec deperit haud puto viuum;
Si quis non spectat viuitq; hic mortuus hic est.

De Flauio Cardinale Ursino.

INclyta cum veteres defleret Roma ruinas
Et sacrum in peius cerneret ire decus:
Quid lacrymas? Tyberinus ait, delapsus ab astris
Ursus adest, Ursas qui nitet ante duas.
Hoc duce Roma iterum stabis, meliorq; resurges
Iam Lupa, nunc Ursus conditor vrbis erit.

Infantis tumulus.

HEu simul infanti tumulum, cunásque parate:
Nam matre extincta nascitur & moritur.

Ad Marium Carrafam Neapolitanorum Pontificem.

SUmme Heros patriæ tandem lux tradita nocti,
Quem pietas genuit, relligio erudijt:
Vellem ego, sed nequeo de te quid dicere, dicam
De te aliquid; demas tu modo de te aliquid.

Ad Amorem.

NOn Venus tibi mater, ociúmque
Pater, crede mihi puer proterue,
Non ioci, illecebræ, sales, lepores
Fratres, non Charites tibi sorores;
Luxus, mollities tibi parentes
Fraudes, insidiæ, doli, pericla,
Fratres sunt Amor, & tibi sorores.

Statuarius filiæ soluit inferias.

QVid iuuat ah longos artem didicisse per annos,
Cùm mea dextra tibi nata sepulcra paret?
Et ferrum, & marmor crudelia, ferrea dextra,
Hei mihi tam magnum quæ peperere malum.
Et ferrum & marmor felicia, dextera felix;
Si pater hoc tecum conderer in tumulo.

Ad Nereidas.

DIcite Nereides, quæ circum luditis vndas,
An maiora meis æquora sint lacrymis?
Dicite formosæ Platamon quam deperit, Aegles
Anne magis duri pectore sint scopuli?
Credite iamdudum nostros res nota periclo est,
Nempe minora meis æquora sunt lacrymis.
Credite formosæ, Platamon quam deperit, Aegles
Quòd vel dura magis pectora sunt scopulis.

Ad Franciscum Lombardum.

MAximus es meritis, vita bene maximus acta
Te tamen & nequeo dicere Pontificem.

Ad Menelaum Infronsium, & Simium Campanum.

FOrtè, quo se habeat modo, rogatis,
Est qui carior omnibus poëta.
Qui vos diligit, omnibúsque præfert:

Excussit

Exuſsit laceras Venus medullas,
Sunt longæ misero dies tenebræ,
Nec quicquam retinet, quod olim habebat.
Quin vultis, referam, quid ille nunc ſit?
Umbra perpetuis peruſta flammis.

Ad Lucretiam.

NOn, quòd lucreris gemmas, Lucretia dicta es;
Sed quòd lucreris corda hominum, atque animos.

In funere Hieronymi Seripandi,
Cardinalis.

REs noua, res nimium triſtis, res digna querelis,
Iam furit in magnos mors violenta Deos.
Túne ille heu moreris praui ſpes vltima ſecli?
Túne taces ſacri lux Seripande chori?
Ah quantum amiſit Chriſti reſpublica: quantum
Lucrata eſt cæli regia morte tua.

Ad Virginem Chriſti matrem.

PRæcipiti rueret cùm biga exterrita cliuo,
Nec foret, alipedes qui cohiberet equas;
Totáque penè domus currenti abſcondita ligno,
Peſſum iret, quin iam lapſa iaceret humi;
Tu, cui ſunt curæ miſeri ſanctiſsima Virgo,
Ecce ades, & tantis eripis vna malis.

In

In Longinum.

ROmanam Fabij quondam mora restituit rem:
At mora Longini perdidit ipsa meam.

Pueruli tumulus.

MAtris ad inferias iacet hic puer editus, illum
Edere nam mater dum parat, ambo obeunt.
Túne igitur puerum felicem flebis, ademptam
Qui nolens matrem cernere, sic perijt.

De Iulia Rota sorore.

CArmen sint alijs alia, mihi Iulia carmen
Romanas referens, & Lacedæmonias.
Exhibuit talem rapti se funere nati.
Inuidiæ vt dederit non minus, ac gemitus.

In effigiem auream Peraphani Riberæ

NOn ego te viuum spirans quòd reddidit aurum,
Effigiem noui magne Ribera tuam.
At subito ut legi, Terras Astræa reuisit,
Non alius dixi quàm Perafanus erit.

De nuptijs Vespasiani Gonzagæ, & Annæ Aragoniæ.

QUæ bene iunxit Hymen, fouit concordia, sanxit
Relligio, fidei vincla dicauit Amor.

Nulla dies

Nulla dies soluat: non rerum perfidus ordo,
Non duri fati rumpat iniqua manus.
Pro Gonzaga aderat Mauors, pro coniuge Pallas.
Orabat Phœbus vota secunda Iouem.
Annuit, & dixit, felix, faustúmque sequetur
Iuppiter. & sic, sic Parca notauit, erit.

De eisdem.

QUi thalami? quæ teda? noui quæ pompa Hymenæi?
An Iuno est iterum coniuge ducta Ioue?
Gonzagæ Heroi nupta, est Aragonia virgo,
Ut Diuûm humana gens reparetur ope.

De imagine Christi Dei crucifixi, ad
Iacobum Antonium Ferrerium.

SIste, dole, lacryma: nam quid lacrymare, dolere
Plus potes, hoc si non flere, dolere potes?

De Hieronyma Columna.

VOs, qui dispositos passim succenditis ignes,
Aëris affecti ne mala vis perimat;
Si sapitis, vultisque grauem depellere morbum,
Qui male nunc turbat nos, agitátque metu;
Pingite cælestis, si fas est, ora Columnæ,
Pérque vrbis celebres picta locate vias.
Extemplo puri veniet clementia cæli,
Diffugient nebulæ, diffugiétque metus.

At vereor, vitare malum dum creditis igni,
Ne vos igne vrat picta Columna suo.

Ad Peraphanum Riberam, cum obsessæ Uizæ Coloniæ subsidium mitteret.

AEquo Marte alij vicerunt comminus hostes,
Omine, fortuna, viribus, arte, morâ:
Tu celer, atque sedens victores eminus hostes
Vicisti nutu, consilio, ingenio.
Quis te igitur poterit mortalem dicere? cum sis
Hoc etiam magno proximus ipse Ioui.

De Annibale Mole Iureconsulto æquissimo.

TOt moles alij, nos admirabimur vnam;
Natura hanc, illas ars operosa dedit.
Materia è vili sunt illæ, & paupere saxo,
Nobilis hæc constat diuitijs animi.
Tempus edax illas, hanc nullum destruet æuum;
Mortales illas, hanc posuere Dei.

Ad D. Uincentium Flumarum monachum Casinensem.

EDucat ars alios & tellus Dædala flores,
At cæli tantùm ros alit ipse tuos.
Ne cesses igitur cælestes ponere plantas,
O felix sancti seminis Agricola.

Ad Ferdinandum Carrafam Diomedis filium, in sui temporis auaritiam.

OScula diuitibus paßim surrepta puellis
Cernimus: est auri hoc, non vitium Veneris.
Est tamen est aliquid: si non sunt aurea secla,
Aurea sunt nostris oscula temporibus.

Ad Ioannem Ramirum.

QVos noster Iouius misit Ramire libellos,
Vt simul inspiciam, suspiciámque simul.
Vtq; notem maculas, si quas incuria fudit,
Non scripsit Iouij, sed manus ipsa Iouis.

In Cynicum.

IN Cynicum mors dira manus iniecerat: at mox
Ne male quid de se diceret, abstinuit.

Ad Ioannem Moronum Cardinalem.

Cùm Tyberis tumido latè prorumperet amni,
Sæuáque vicinos mergeret vnda lares;
Haud mirum Morone tuos superesse penates;
Non potuit sacris vnda nocere locis.
Sancta fides tutata fores, penetralia Phœbus,
Virgineus tenuit tecta verenda chorus.
Hinc secura igitur quàm sit mens conscia recti
Quisque putet, quam nec perdere poßit aqua.

Ad

Ad Antonium Catenam Regium Consiliarium.

SI mala, quæ nostris tempestas imminet hortis
Nulla erit, & per te libera poma legam,
Non tibi, quæ Chloris, quæ dat Pomona, parabo
Munera, sed Phœbi quæ bonus hortus alit.
Hortorum exiguo languescit tempore fœtus:
Pieridum nullo tempore fœtus obit.

Ad Ferdinandum Toletum Aluæ Ducem.

APpellent alij quouis te nomine, dicam
Carmine te Solem magne Tolete meo.
Sol vmbras; tu bella, metum, tu nubila tollis:
Hinc, mala quòd tollas singula, nomen habes.

De Longo, & Curto.

PRæcipitat Longus causas, Curtúsque retardat:
I modo nominibus, i modo crede notis.

In funere Ferdinandi Gonzagæ.

HOc tantùm de morte tua Dux magne dolendum est,
Debueras acie, non obijsse toro.

Ad Philippum Austrium Regem
De Vespasiano Gonzaga.

NIl cum fortuna tibi iam Rex optime, vincet
Gonzaga inuicta bellica fata manu.
Dextera Gonzagæ plus quàm fortuna, triumphos
Quos tu vix cuperes, vix dáret illa, dabit.

In funere Rodulphi Pij Cardinalis.

AH Pie túne iaces? non impia Parca pepercit?
Ah tibi quem tumulum, quos titulósue parem?
Sint tibi pro titulis probitas, pietásque, fidésque,
Sint nostra æterno pectora pro tumulo.

In Peleariam,

OMnibus es paleæ similis Palearia, ni quod
Ocyor hæc vento est, tardior ipse trabe es.

In funere Hippolytæ Gonzagæ.

Disrupta ad tumulum pharetra lacrymantur Amores
Restinxit geminas Cypria mœsta faces.
Sirenes vlulant circùm, lamenta Camœnæ
Ingeminant, scissis flent Charitésque comis.
Discite felices quid possint fata mariti,
Discite lætitiam quàm prope luctus eat.

Noua felicitas.

VEspere iucundos thalamus coniunxit amantes,
Mane iterum tumulus iunxit & ipse duos.

De Peraphano Ribera & Portucarero.

SUmpserat in Portum saeuas mors atra sagittas,
Ut Phœbi & Martis perderet omne decus.

Tum

Tum superi exclamant non Portus at ipse Ribera est
Quem petis, ah quid agis? proijce tela manu.
Proiecit, flexoq; genu rea criminis inquit
Parcite, mortalem perdere credideram.

Ad Ioannem Andream Curtum, sacri consilij Neapolitani Praefectum.

Deformant alij leges, minuuntq; premúntque,
Negligit alter eas, destruit alter eas.
Tu simul vnus eas exornas, erigis, auges
Seruas vnus eas, condis & vnus eas.

Ad Antonium Perenotum Cardinalem Granuelam.

Vellem ego, nec possum, quantus tu, qualis & ipse es
Metiri, & si non carmine mente sequi.
Virtutis nam mole tuæ sic obrutus ipse es,
Ut te te intra te non reperire queam.

Ad Ioannem Austrium de victoria nauali per eum parta contra Turcas.

Ars, vsus, fortuna, animus, solertia, vires
Inclyta victricis sunt bona militiæ.
His est parta Ducum victoria, sed licet id sit
Omne tuum, hoc auget Dux tibi magne decus;
Quòd sperare vetas, quòd nos optare triumphos,
Sic spem, sic votum vincis in arma celer.

Non

Non aliter fulmen ferit ante, & terriitat ictu
Quàm sonitu, & primùm sternit & inde ruit.

Ad Lethen flumen apud Pratam
ditionis suæ oppidum.

SAluete ò latices Lethæi, ò flumen amicum
Quod serpis vitreo saxa per uda pede;
Siue dedere olim lethæa obliuia nomen,
Siue dedit letum meta, quiesq; mali:
Sit faustum felixq; tamen quia nomen ab ipsa est
Lætitia lætum nomen, & omen eris.

Ad Peraphanum Riberam.

TUrbarunt alij pacem discordibus armis,
Tù pacato animo bella profana domas.
Vidimus immersos tranquilla per æquora nautas,
Tu portum iratis fluctibus ecce tenes.
Ultra hominem tu quicquid agis fortissime Princeps,
Iam colit humanum terra beata Iouem.

Ad Rannucium Farnesium Cardinalem.

IAm te Pontificem medio Tyberinus ab amne
Suspicit, & iam te Roma beata colit.
Rannuci puræ series sic candida vitæ
Postulat, & studijs gloria parta tuis.
At quando votis obstat non apta iuuentus,
(Et si iamdudum moribus ipse senex)

Canitie subita fias argenteus, vt mox
Aurea te fiant secula Pontifice.

Ad Vincentium Francum Regium Consiliarium.

SI quis se vincit vera est victoria, victor
Vincenti, hoc proprium est, hoc mihi crede tuum.
Nam vis nulla via potuit te flectere recta;
Non amor, ira, metus, commoda, dona, preces
O legum decus inuictum, ò te iudice iura
Aurea, & ò tanto secla beata viro.

Ad Felicem Ursinam.

FElix, & Phœnix diceris: nomen vtrunque
Te decet, o cœli tertius Ursa nitor.
Te te ipsa es felix, fortunæ & munere felix:
Phœnix vna animi, corporis vna bonis.

De Andrea Pontio Leone.

TRaijciam tutò tumidum qui territat amnem,
Despiciam rabido quæ vorat ore feram.
Tranantur paruo torrentia flumina ponte,
Diffugiunt viso sæpè Leone feræ.

De Gallina ad Pisanum

ARcis Tarpeiæ custos argenteus anser
Quòd fuit, hoc vocis munus inane fuit.

Aurea

Aurea sit, ne dum gallina argentea, quæ dat
Bina Pisane tibi quolibet oua die.

Ad Secundum Velam gallinæ occisorem.

TUne Secundus eris gallinæ occisor amatæ?
Omnibus aduersus qui potes esse bonis?
Ah potius genus omne auium, quin perdere temet
Debebas, tantum quam facere hoc facinus.
Sæuiat in te vnum cui toxica blanda parasti
Mus precor, extinctæ strenuus vltor auis.
Ille tibi frangat cyathos, & deuoret escas
Et quæ peccarunt mordeat ille manus.

De eadem.

SInt alijs volucres argento, & marmore fictæ;
Argentum, & marmor non tamen oua parit.
Sat gallina tibi si carne, & sanguine ficta est;
Tantum alis careat ne fugitiua volet.

Pisanus gallinam deflet.

HEu, quæ debueras longißima vincere secla
Quàm gallina cito funere rapta iaces.
Et quæ bina die dare sæpius oua solebas
Quot suspiria, quot nunc mihi das lacrymas:
O pereant mala crusta malo medicata veneno,
Túque inter cœli sydera sydus abi.

Ad Nigellam.

TAntum crudelis, tantum formosa Nigellä es,
Ut tecum, & sine te viuere quis nequeat.

In Auream Statuarium.

TU mihi vere aurum si donas Aurea marmor,
At mihi si vendas Aurea marmor eris.

Ad Menelaum Infrosinum.

MItte queri Menelaë meis non viuere chartis,
Hoc inter flammas viuere crede foret.
Dic mihi quid melius; medijs te viuere chartis,
An media vatis viuere mente tui?
Si tamen id spernis, si tanti est viuere chartis,
Sat tibi sit chartis viuere posse tuis.

In fatuum ante fores catena custodem.

DEsipis, idcirco custodis iure catenam,
Custodire sibi debita cuique licet.

Ad Nigellam.

ID tibi, quod potuit natura indulserat vni,
Verùm te te ipsam perdere non dederat.
Cum me igitur perdas tu te ipsam perdis, iniqui
Criminis ah nouitas, ah scelus, ah facinus.

Ad Eandem.

QUam mallem ipse meis oculis edicere legem;
Ne tam sæpe tuos inspicerent oculos;

Sed vereor legem esse nefas, quæ non sinat almo
Sole frui, atq; bono, quod super omne bonum est.

Ad eandem.

CUm te finxisset, nos ipsos finximus inquit
Iuppiter, oblitus numinis ipse sui.
Pœnituit fecisse tamen quod fecerat, in te
Nam superûm, atq; hominum fecerat exitium.

Ad Vespasianum Gonzagam,
de Aloisio filio.

IN nemus immensum Parnasia frondeat arbos,
Et magnum in fluuium fons Heliconis eat.
Iam Gonzaga tibi puerum dat Regia coniux:
Iam creat indigenas Itala terra Deos.

Ad Pyrrhum Antonium Capuam, Hydruntinorum Pontificem, & Sedis Apostolicæ
apud Venetos Legatum.

QVod forti spernas animo decreta malignæ
Fortunæ, & surgas quò magis illa premat;
Antoni te digna facis: nam vera mereri
Gloria, non vera est gloria habere decus.

In Portiæ Capiciæ coniugis funere.

DVm viridi vernos carpebat gramine flores
Pociliæ Dinus dona futura suæ,
Vidit eos atra circùm ferrugine tingi,
Et subitò in spinas vertier, & tribulos,

Proti-

Protinus ad litus descendit, dúmque legebat
Candidulam concham, lurida concha venit.
Haurit aquam, dulcis quæ puro è fonte fluebat,
Et tamen hanc etiam tristis amaror habet.
Aëra tum stupidus suspexit: lucidus aër
Forte erat: at piceas mox abit in tenebras.
Ecquid erit lacrymans tandem proclamat? & audit
Mortua Pocilia est, mortua Pocilia est.

Eiusdem tumulus.

Pierides tumulo violas, Venus alma hyacinthos,
Narcissos Charites, lilia spargit Amor.
Phœbus odoratas lauros, Pallásque amaranthos,
Nos lacrymas sancti pignora connubij.

Ad eandem.

DUm parere heu sobolem credis dulcißima coniux,
Quot lacrymas moriens, quantáque damna paris?
Per te ego dicebar felix, per te quoq; dicar
Infelix omni tempore morte tua.
Et tamen ah miseri vitali vescimur aura,
Cùm nostri tecum pars melior iaceat.
Quid moror? en tumulo viuum me condite, siqua est
O pietas; quando non obijsse datur.

Ad eandem.

NUm viuat pereátne malis qui creditur vndis
Ambiguum est minimo morte procul digito,

Sic ego te extincta lacrymarum dum trahor undis
Mortuus, an viuus dicar in ambiguo est,

Ad eandem.

Et tantum, & tantum fleui, ut ne dum una relicta
Sit lacryma; heu saltem qua mala tanta leuem;
Fluxit & in lacrymas sanguis, fluxere medullæ
Quid reliqui? ni anima hæc diffluat in lacrymas.

Cùm è Roscolo suæ ditionis oppido
in Marsis Neapolim rediret.

MUscosi lapides, qui me per iniqua viarum.
Ducitis, & quò non ducier ipse velim.
Crediderim, vobis aliquis si sensus inesset,
Quòd stillaretis mecum etiam lacrymas.
At quando hoc vetitum est, oculorum flammeus humor
Vos riget, huc illuc fónsque perennis eat.
De quo mox bibat admirans dicátque viator,
Non alibi medio surgit ab igne liquor.

Epitaphium Iacobi Brancacij &
Lauræ Rotæ coniugum.

FElices cineres vna voluere reponi,
Ne, quos iunxit Amor, funera disiderent.

Ad Aloisium Tansillum.

DUm senis cantas lacrymas beati,
O pium cantum, ò lacrymas beatas,
Undique & sacris numeris resultat
Collis, & æquor.

Dum

Dum parat pictam violis corollam,
Dum rosas primas legit, & nitenti
Flore dum replet tibi mille coniux
Casta quasillos.
Nec sat est cari tribuisse agelli
Dona, at interdum spatiata circum
Litus attritas tibi seruat vdo
Marmore conchas.
Nos vt immitis dolor vrget, vt nos
Cogit, vxorem sequimur sepultam,
Quò rapit mens saucia, quò trahunt nos
Iura sepulcri.

Ad Horatium Solimaeum.

SI dolor acer erat potis vnquam vincere, victum
Nempe dolore vnum me fore credideram;
Et Solimae tamen viuo, nec viuere certum est,
Ni credam extinctum viuere posse hominem.

Ad Vollarum & Turbolum mathematicos.

DIcite quid faciam, qui cælum voluitis arte
Vollare care mihi, Turbole care mihi?
Quando elementa etiam mutantur, vertitur æther,
Cur meus est idem tempus in omne dolor?

Coniugis tumulus.

QUisquis ades dignam lacrymis venerare sepultam
Heu decus intactæ grande pudicitiæ.

Hic

Hic Venus, hic Pallas: quis non loca pronus adoret?
Tres vna hæc magnas detinet vrna Deas.

Ad Ianum Pelusium Crotoniatam.

PElusi nostras longùm miserate querelas,
Qui mea sæpe tuo carmine damna leuas;
Quid dolor ipse nequit? volui de marmore fingi,
Et poni iuxta coniugis ora meæ.
Vt saltem fictam fictus de marmore cernam,
Marmorea possim marmor & ipse frui.

Coniugis tumulus.

VOce lege hac tacita, non est non mortua, dormit
Portia, crede, nefas hanc obiisse foret.

Sui ipsius tumulus.

CVr tumulus manat lacrymis? cur æstuat igni?
Ipse vel in tumulo luget, & ardet amans.

Ad Gasparem Toraltum.

CAre Toralte meas dudum admirate Camoenas,
Non mors præ lacrymis præq; dolore venit.
Ceu rediuiua suo de funere nascitur ales,
Sic ego de lacrymis, déque dolore meo.

Genius

Genius e coniugis tumulo.

AT tu quisquis ades, dites qui curris ad Indos,
Desere Erythraei longa pericla maris:
Felicem ad tumulum propera, iámque vtere terra,
Hic gemmas alias, hic noua thura leges.

Ad Halcyones aues.

CEdite mi tristi quae circum litora cantu
Rapta tori vidua gaudia fletis aues,
Cedite, quod flemus, quod lamentamur, id omne
Maioris causam, vímque doloris habet,
Vos maris irati pacatas redditis vndas,
Turbatur lacrymis terra, fretúmque meis.
Quódque magis miserum est, vacuas clamatis ad au-
Vos bis Ceycem, nos quater Halcyonem. (ras

Ad Io. Franciscum Spannochium Senensem.

TU libertatem deploras seruus ademptam
Spannochi nostram sat miserate vicem;
Ast ego seruitium deploro liber ademptum.
O rerum inuersa conditione vicem.

Ad Gabrielem Zerbum Bononiensem.

ZErbe quid ò prodest lustro tumulasse peracto
Cara peregrino coniugis ossa solo?

Etsi mi

Etsi mi iures cineres, manésue verendos,
Non credam lacrymis te posuisse modum.
Ipse vel extremi fugias ad limina mundi,
Sint tibi vel Pylij secula longa senis;
Nil fuga, nil ætas: ieris quocunque, sequetur
Perpetuis tenebris obrutus vsque dolor.

Ad Marium Alcimarum.

Portia dicta mihi, non Porcia: (parce vetustas)
Est, & erat portus fluctibus illa meis.

Ad Alfonsum Rotam fratrem.

At tritum corpus frater, quin corporis vmbra,
Qui deploratis surgis ab exequijs;
Ne redeas lassæ rediuiua ad funera vitæ:
Quòd te delectet viuere, quódue iuuet:
Sed pia te moueat fraternæ cura salutis.
Nam si deseris, heu deseret hæc anima.
Nec fallor: dùm te lacrymans & supplice dextra
Alloquor, & tu me deseris atque anima.

De eodem diu ægrotante, & præclare mortuo.

Si vitam inspicies, contendes dicere mortem;
Si mortem, vitam dicere iure potes.

SYLVARVM, SEV METAMORPHOSEON LIBER.

Camerota.

Ad Placidum Sangrium.

SAngri flos patriæ, patriæ non vltima cura,
Quem pater erudijt Phœbus, duxitq; per vmbras
Aonis, ac lauris per opaca virentibus antra:
Seu te forte malis nunc tempestatibus actum
Publica cura premit patriæ non digna ferentis;
Seu Camerota altis retinet conuallibus, & te
Nunc litus, nunc sylua iuuat, seu montibus apros
Trudere, vel lino volucres, vel fallere pisces;
Eia age linque alijs hæc, dum canis omnia turbat
Icarius, dum cuncta sitit, dum deperit herba:
Atque hoc, vt potui tibi condere, perlege carmen.
Quæ fuerit Camerota olim, quid verterit artus
Virginis in scopulum canimus: tu plaude canenti;
Te dominum quando ipsa colit, te suspicit vnum.
Quis te, quisue tuos memorans ab origine casus
Nereidum Camerota olim pulcherrima, se se
Abstineat lacrymis? lacrymis quis parcet amicis?
Tu decus ante omnes Tyrrheni litoris vna,
Vna amor, vna ignis: te Rex sæpe æquoris vnam,

Neglectis alijs, quin posthabita Amphitrite
Optauit: te sæpe Tethys per cærula nantem
Obstupuit: per te (mirum) noua vulnera sensit
Tritonum, Phorciq; manus: monstra hispida Phocæ
Te sæpe arserunt. tu sæpe at despicis omnes:
Tantum mira nouæ pollebat gratia formæ.
Iratos etiam pelagi componere fluctus
Voce potens, placido luctantia marmora cantu
Mulcebas, piscésque vagos, scopulósque trahebas
Vndarum Rege inuito quoquò ipsa volebas.
Quin etiam cantu ducta imo è gurgite Cete
Exerere informes rictus, Nympháṡque videbas
Vndisonis exire antris, ac per freta pisces
Ludere, & in numerum Delphinas iungere flexus.
At quæ summa imis permiscent, tristia lætis,
Inuidere tibi crudelia fata, perosa
Elatos animi fastus, mentémque superbam.
Nam cùm forte olim longinqua per æquora vecta
Cognatæ auspicio Veneris, monitúque Deorum
Aeneadum Ausoniæ subijsset litora classis,
Cúmque gubernator puppi Palinurus ab alta
Te nocte in media aspiceret (dabat ipsa per vmbras
Luna diem tremulo vibrans vaga lumina ponto)
Ac dulci infelix audiret voce canentem
Continuò exarsit, longùm miratus eburni
Corporis ipse opus egregium, Ioue dignáq; membra,
Miratus dulcésque modos, numerósque canoros;
Ah miser Icarijs pelago se credere pennis
Iam cupit, immenso quamuis via clausa prufundo,
Tantum

Tantum optare licet. sed quid? quando omnia terrent,
Nec quid speret, habet? nequicquàm hæc deniq; fatur.
Seu Venus orta vndis, noua siue hoc gurgite Siren,
Seu tu alia æquorei Nympha es pulcherrima regni,
Eia age (parua peto) liceat prope noscere causas,
Unde nouis subito flagrent præcordia flammis,
Quóue tot icta malis morbo mens ægra laboret,
Huc propera; huc nando secura accede: natanti
Cæruleum tibi fluctus iter, tibi ventus amicas
Sternet aquas, facili parebunt æquora motu.
Hactenus infelix. sed tu (vix credere fas est)
Dura magis scopulo, quo membra innixa sedebas,
Nil contra. ast illi Sirenum saxa subisse
In mentem venit, cautúsque occurrit Ulysses:
Sed frustra memor esse iuuat, quando impia contra
Fata trahunt, nimiúmqu sibi male credulus error,
Vox placet, & blandæ captus dulcedine vocis
Ignauum furtim sensit subrepere somnum,
Paulatímque ratem pelago, clauúmque labantem
Credit, & incassum nutantia membra quieti
Nititur, & placidæ furari lumina fraudi.
Usque adeo dulci iuuat indulgere periclo.
Nec tamen ipsa minus mens æstuat vndique curis,
Nec minus acer Amor flammato pectore sæuit.
Nanque inter somnum cantantem auditq;, stupétq;,
Auditámque inter somnum suspirat, & optat.
Tandem decipitur sensim, tacitúsque per artus
It sopor, & cæcos captant obliuia sensus.
Iámque gubernandi cura, sociisque relictis

Labitur, & præceps latis miser excidit vndis.
Nec promissa iuuant Neptuni, cùm Deus ante
Fausta huius Ueneri promiserit omnia cursus.
Tu tamen hæc spectare potes, nec iam mouet vlla
Te pietas, poterat scopulos, & monstra mouere.
At Venus interea, cui dudum Troia curæ
Progenies, Graio raptique ex igne penates,
Aduecta Idalijs medio stetit æquore cycnis,
Atq; iterum æquoreum fratrem, Nymphásq; precata
Ne liquidum per iter classis spoliata magistro
Erraret, tutásque vias, cursúsque secundos
Impetrat, ut tandem speratis sistat in oris.
Mox & discerptos artus, inhumatáq; membra
(Quis putet?) illacrymans,(superos si flere putandum est)
Colligit, ac rupi, vastis quæ prominet vndis,
Imposuit, collémque omnem dedit esse sepulcrum.
Unde etiam æternum Palinuri à nomine nomen
Seruat adhuc, nautis procul aduentantibus alto
Vertice prospectans mare formidabile saxum.
Quo rite agresti syluis de more propinquis
Conueniunt Satyri soluentes iusta sepulto:
Et Dryades largo discisso cortice fletu
Te Palinure altum, frustráq; ad busta vocantes
Funereis donant folijs, tumulúmque coronant
Pallenti circùm viola, mœstóque hyacintho.
Protinus his actis magno perculsa dolore
Dira animo voluens ardenti efferbuit ira,
Nec tulit æqua Venus Palinurum occumbere inultum,
Sed voluit Nympham dignas dare crimine pœnas.
Nam

Nam dum forte parat scopulo discedere, latè
Obriguit, sibi nec constans immobilis hæret,
Paulatimque artus sensit durescere in arctum
Contracta, & subito se ipsam miratur, & horret.
Iámque nouum in scopulum versa est, iam saxea saxum
Tota subit, saxúmq; intra, nec pœnitet acti.
Quin è conspectu tristi lætissima casu
Aspicit aduersam rupem, molémque sepulcri.
Infelix Camerota nouis deflenda querelis;
Quæ te non flerunt Nymphæ, quæ litora? Molpis
Testis erit, Molpis tantæ pars maxima cladis,
Quam Venus in silicem vertit quoque, dum tua luget
Funera: testis erit quódam placidissima Nympha
Centula natarum Bacchi pulcherrima, centum
Vinetis, vinóque potens, sed nunc quoque tristis
Effundens lacrymas generoso palmite vitis.
Téque etiam Antiliæ, passis te mœsta capillis;
Quam Pan erudijt susceptam Molpide Nympha
Defleuit longùm calamis Montana paternis:
Te Velia, atque imo clamat Triuentus ab antro,
Disrumpénsque vrnam subito vada linquit iniquus
Frugibus, & pleno rapido pede prosilit alueo.
Tum Iungana rosas atra ferrugine tinxit,
Iungana insignis Pæstani gloria campi:
Quæq; simul nostris modo Trentana paret habenis,
Audijt, & triste exitium Cominenta miserta est.
Nuntia fama mali tantum procul explicat alas.
Nec satis ulta iras, voluit quoq; Cypris, vt alto
Aggere te paulum post temporis aduena pubes

Cingeret, atque tuo dictam de nomine terram
Incoleret, populúsque fores prædonibus esca,
Nec salebrosa vijs loca te, nec vallibus imis
Præcincta nemorum rupes, nec saxa supremo
Fixa iugo, aut monstris formido, & piscibus antra
Nautarum miserorum informibus ossibus alba
Arcerent sæuos populatis sedibus hostes,
Qui facti memores tentent mare classe propinquum
Prædari, ac latè populos, vicináque circum
Litora, & euerso grassari limite campos.
Gens fera, quæ veluti præruptis montibus acta
Sæpe ruit rapido tempestas turbine, & omnem
Sternit agrum, secumq; trahens segetésq;, bouésque,
Cum bobus plaustra ipsa, pecus, pecorísque magistros
Huc illuc vasto furit impete, captáque passim
Tecta vrit, secúmque rapit iuuenésque, senésque,
Cúmque patre impubem prolem, cum matribus alto
Uagitu tremulis pendentia pignora mammis.
Necnon (quod lacrymis mage dignum) sanguine prædam
Commaculat duris traiecto corpore contis.
Aut cogit miseram per munia tristia vitam
Degere sub foueis ingrata compede vinctam.
Infelix Nympha, infelix, quæ crimina tantum
Promeruere? vale, vale; & tibi carmina quando
Digna dare, haud nostrum est, dignos tamen accipe fletus.
Fortunata nimis Nympha, ò si Dardana puppis
Tyrrheni nunquam fatalia litora ponti
Uidisset, tanto si non Uenus acta furore
Te miseram vsque odijs ageret, premerétque nefandis,

Si nusquam Palinurus erat, num te magis vlla
Pulchra fuit; dum vita habuit? num voce canora
Blandior? aut postquàm mutatam fata tulere
Dulcior? atque homini longè gratissima tellus:
Te ver perpetuum exhilarat, te flore coronat
Usque nouo, te fronde sua bona Pallas Athenis
Iam spretis colit, ante omnes, te vite Lyæus
Exornat, cogitque suam tibi cedere Naxon.
Sed quid ego antiquas recolens Camerota querelas
Te sequar? hoc vno tantum tot damna repende,
Quòd regat, & placidis nunc te moderetur habenis
Sangrius, & nostra referant tua funera Musæ.

Carduus.

Ad Dominicum Venerium patricium Venetum.

VEnneri primum mœsti solamen amici
Linque precor, Lycidas dum luget, linque parumper
Pieridas, quas ipse colis, quibus ipse refulges.
Ite per herbosos carpentes gramina campos,
Ite ite o pecudes quò vos trahit, ite, voluntas;
Nulla etenim Lycidam vestri iam cura fatigat.
Vósque feræ impunè, & volucres impune potestis
Ire redire vias, Lycidam dolor anxius vrget.
Non ego vos iaculis posthac, non rete lacessam:
Tela retusa iacent sine honore, & retia pendent
Cardinio extincto, quo non mihi carior vllus,

Cardi

Cardinius custos pecoris, sectator aprorum.
Quæ poterunt ægram solari carmina mentem?
Ah potius socij fatum referamus adempti,
Indignos obitus lacrymis referamus amicis,
Sunt digni lacrymis obitus, lacrymabile fatum.
Quis furor? ah tandem quæ te crudelis Acerra,
Quæ rapuere iræ? cunctis ò sæuior vna,
Quas chorus exercet Dryadum crudelis Acerra.
Cùm iuuenem immiti præreptum funere passa es
Cernere, & in lacrymas non te dolor improba vertit.
Te verè quercus, verè te saxa tulisse
Crediderim; quando potuisti perdere, qui te
Præ grege, præ iaculis vnam præ rete colebat.
Ah crudelis Accerra tuos cur perdis amores?
Quò ruis? est Siculæ vano rumore puellæ
Fabula, nulla magis præuertit fœmina sensus,
Nulla magis, quàm tu, confixit Acerra medullas.
Infelix iuuenis, dum te cupit vsque, parátque
Flectere blanditijs, prece, munere, dum colit vnam.
Dum te per saltus sequitur, loca sentáq; circùm,
Dúmque tibi longa syluas indagine cingit,
Et lepores, damásque vni tibi munerá seruat;
Tu pro venatu aßiduo, pro munere, tu pro
Blanditijs cita fata paras, precibúsque Dianam
Immeritis poscens crudelia præmia factis
Solicitas, penitúsque nouo perculsa furore
Hæc ais, at sæuum mulcent nil verba furorem.
O Dea, virgineis quam dudum addicta choreis.
Excolui, mater docuit quo tempore primum

Fallere

Fallere aues visco, gruibúsque intendere lina;
Si te vnam Venerisque iocis, iucundo & Amori
Præposui (tanti puræ mihi fœdera vitæ)
Diua precor miserere: vides, quo conciter æstro.
Deceptam niueæ (ni fallor) munere lanæ
Te quoq; sæuus Amor vicit: quis vincet Amorem?
Cardinium Scimeris habet, tu digna repende,
Vnam amat, & nostros spernit iam perfidus ignes.
Vix hæc ediderat, precibus cùm victa Diana
Annuit, vt vitrea nudam se forte lauabat
Fontis aqua æstiuo venandi fessa labore,
Et fratris, spatia assiduo qui summa rotatu
Lustrat, & aligeras ex ordine temperat horas,
Auxilium implorat, vitésque reposcit ab vno.
Ille pererrati transuerso limite cœli
Vrebat terras, vastique patentia ponti
Marmora, & Icarij rabiem canis igne maligno,
Exagitans generi humano letumq;, luemq;
Vrgebat passim, ne dum morbosq; sitimq;:
Sensit, & immisit iuueni nil tale verenti,
Dum celerem in casses trudit de montibus aprum
Feruentem radiorum æstum, rabidúmq; furorem
Sideris, atque vstis prorepens ima medullis
Insinuat se se grassando, & pascitur artus.
Tum penitus misero nocuus calor ossa perurit:
Mox sensim venæq; arent, maciésque calentem
Obsidet, & sanguis vanas tenuatur in auras.
Ast vbi crudelem euentum Dea vidit, iniquis
Ereptum fatis iuuenem sine munere non est

Passa mori, fecitque suo de nomine florem;
Qui nunc dumosis consurgens vndique syluis
Carduus ardenti venantes sauciat ictu.
Quæq; manu, & pharetra venatica tela gerebat,
In spinas vertit, quibus est præcinctus, acutas.
Hactenus ò retulisse satis tua funera care
Pastor, ab Elysijs qui nos nunc prospicis agris,
Atque alias istic pecori das iam Deus herbas.
Quàm bene nunc tecum est actum non cernere, quæ sic
Nos agitant; altis nouus hinc furor Alpibus actus,
Hinc Germana rapit tempestas omnia, quin hæc
Ceu nihil, heu tecum turpi iam fœdere vincti
Galle furens, Parthi, Cilices, Thracésq;, Getæq;
Exturbant, miserásq; abigunt bona nostra capellas.
Quin dominos, totúmq; simul populantur ouile;
Inuitósque alio cogunt nos viuere cælo.
Usque adeo Ausoniæ pastores tristis Erynnis
Torquet, & in peius discors sententia versat.
Verùm si superis placitum, si nostra reposcunt
Crimina, vt æternùm fatis iactemur iniquis,
Dijq; Deæq; omnes, quibus est res Itala curæ,
Vos ò præsentes patrijs succurrite votis,
Vos saltem seruate vrbem decus orbis, ocellum
Europæ, Italiæ sidus, virtutis Asylum,
Hadriacas inter quæ felix enitet vndas,
Quæ nobis vel numen adest, cui ponimus aras,
Quam veneror, præclaram vrbem, sanctúmq; Senatum.
Cuique triumphales æterna in secula lauros
Auguror, auspicijs semper melioribus auctæ,

Ut domitis penitus monstris, atque hoste subacto
Inclyta barbaricos referat Regina triumphos.
O vtinam tecum viuam, condárque sepulcro
Cara Deûm soboles, magnum Iouis incrementum;
Et reuocem viduas extincta coniuge Musas.
Sat lacrymis dedimus: pecudes, venit vmbra, redite.

Uiolæ.

Ad Marium Galeotam.

QUis violas Galeota tibi, quis carmina nolit
Mittere? cara tui pars ô Galeota sodalis;
Tu violas, tu carmen amas, en accipe vtrunq;:
Dúmq; canam violas, violis tibi tempora cinge.
Quæ iuuenem syluæ flagranti pectore Iolam
Non videre olim? qui non stupuere canentem
Prærupti nemorum anfractus; latebrosáq; lustra?
Dum miser huc illuc letali saucius ictu
Errat amans, séq; ipsum odit, vitátq; sequentem:
Dúmq; vnam ipse ardet, dum totus Hyantide ab vna
Pendet, & omne nemus responsat Hyanthida circùm.
Quæ rupes illam, quæ non nouere latebræ?
Dum pauidos imas in valles pellere damas
Nititur, & studio venandi lassa sub vmbris
Accubat, & cantu volucres permulcet, & auras.
Qui vel amore huius Nymphæ non feruidus vltro
Ingemuit Faunus? qui non cupiere calenti
Pectore monticolæ syluestria numina Panes?

Dum modo fonte sitim pellit, modo sole perusta
Membra lauat, Parium longe superantia marmor.
Iam caput Eois Aurora emerserat vndis,
Et reuocans hilares ad munera rustica Nymphas
Floribus, ac nitido mundum perfuderat auro:
Cum fortè optatam male vidit Hyanthida Iolas,
Ut mostrarat Amor per roscida prata vagantem,
Et vernos tenero carpentem pollice flores:
Dúmque illa albenti vacinia fusca ligustro
Associat, variásque rosis interligat herbas,
Narcißúmque croco, calthámque immiscet acantho,
In primísque sinum violis pallentibus ornat,
Ac violis passos componit in ordine crines;
Uritur infelix longùm miratus, eunti
Ut circum niteat tellus, vt leniter auræ
Exhilarent purum rorantibus aëra pennis.
Ah miser ecquid agat? cupit ire, & perdere supplex
Uerba vltro: at retrahit timor, & iam verba relinquunt.
Mox inter frutices latitans vix talia fatur.
En age tuta para vario tibi flore corollas
Nympha dolor, requiésque animi pulcherrima Nym-
Iam non congressus, iam non suprema reposco (pha;
Gaudia, diuino mihi sat nunc lumine tantum
Posse frui, mihi sat procul inspexisse: quid horres?
Pone metum in superos humanis non licet vltra.
Num tibi quidue habeat referam, quid poßit Iolas?
Paruus enim nihil est, tamen est tuus omnis Iolas.
Illa vbi clamantisque sonum, strepitúmque fruteti
Audijt, extemplo iam florum oblita retorsit

Lumina

Lumina, nec niueo delapsum pectore sertum
Tollit humo. at postquàm tuti nil vndiq; vidit,
Diua faue ò nemorum exclamat, cui candida curæ
Virginitas, mihi Diua faue: nec plura locuta
Effugit, & celeres visa est se vertere in auras.
Tum iuuenis properare gradum conatur: at vltra
Ferre gradum mala fata vetant, ac territus hæret:
Mox cadit, & lapsum dum sese attollere frustra
Ter parat, ah lapsus rursum procumbit humi ter:
Nec sibi credit amans infelix, nec sibi constat.
Quin simulac florem conspexit, (sparserat omnem
Florem illa huc illuc, miserum cum fugit Iolam)
Colligit, atque sinu condit, manibúsque retractat,
Atq; hæc heu lacrymis verba intermiscet obortis.
Túne ò care mihi, nuper quem pectore fouit,
Flos ille es, nostri quem pignus Hyanthis amoris
Quæ veluti mortis certissima dona reliquit:
Túne etiam miseri dictus de nomine Iolæ
Testis eris nostri dulcissime flosculeleti?
Hæc ait, & super incumbens iam liquitur omnis
In lacrymas, iam sanguis abit, iam dificit intus
Spiritus, ac remanet nil iam de corpore, ni qui
Testetur multus pallentem pallor amantem:
Fit viola, & floris paulatim arctatur in orbem;
Qui vel adhuc retinet mutati nomen Iolæ.
Tum Venus extincti casus miserata, voraret
Ne dignos lacrymis obitus fuga temporis vlla,
Munere néue aliquo miser indonatus obiret,
Instituit, Charitésque noua mox lege notarunt,

Ut Viola optati gratiſſima nuntia Veris
Cingeret æternùm crines, & pectora Nymphis.

Portia.

ECquid erit mi cara vxor, lacrymabilis vxor?
Ecquis erit lacrymis modus? ecquæ meta dolori?
Sat mihi iam Tuſcis, Latijs nunc flenda Camœnis
Portia, dulcis amor quondam, nunc nænia triſtis:
Portia lux olim, nunc Portia noctis imago.
Uxor mi lacrymæ ſemper, lacrymoſa voluptas,
Omnia ſunt lacrymæ ſine te, ſunt omnia fletus,
Singula mi ſqualent ſine te, mihi ſingula ſordent:
Dulcia felle madent, vileſcunt omnia cara,
Gaudia dant lacrymas, lacrymas mihi quæq; miniſtrant.
Tu lacrymoſa dies, tu nox lacrymoſa dolenti.
Quicquid vbiq; oculus ſpectat, mens captat vbique
Sunt lacrymæ, eſt mortis miſeræ crudelis imago.
Nec tamen in lacrymas abij, dolor ipſe valebat
Vertere me in lacrymas, quod ſummum optabat, & (vnum,
Infelix potuit qui cernere fata maritus,
Infelix vidit, vidit nec deſijt eſſe.
Portia dulcis amor quondam, nunc nænia triſtis.
O vtinam in fluuium lacrymans, & triſtis abirem,
Qui propter tumulum, cinerem qui condit amatum
Laberer, hoc ſaltem ſolarer funus acerbum,
Ah cinerem extinctum, viuos qui ſuſcitat ignes,
Ah cinerem exiguum, magnam qui pectoris Aetnam
Suſcitat: at paruo grandes accendier æſtus

Quis putet è cinere? at cineres Amor excitat alis
Portia dulcis amor quondam, nunc nænia tristis.
O vtinam in fluuium lacrymans, & tristis abirem,
Qui propter tumulum, nostros qui seruat amores,
Quique poli, terraq; simul secum occulit omnes
Delicias, & quicquid Amor magis ornat, & auget:
Qui ver perpetuum spirat, florésque Sabæos,
Qui Musas flentes, castæ qui Pallados artes,
Qui Venerem, et Charitas quàm paruo amplectitur orbe,
Laberer, hoc saltem solarer funus acerbum,
Portia dulcis amor quondam, nunc, nænia tristis.
O vtinam in fluuium lacrymans, & tristis abirem,
Qui propter tumulum, qui condit dulcia membra,
Quique rosas, vel adhuc niti di qui lilia vultus
Seruat, & Hyblæis corallia nata labellis,
Quiq; ebur, atque aurum, demum mea sidera condit,
Laberer, & quando misero mi non datur vltra,
Huc circum, atque illuc amplecterer inuida saxa;
Inuida saxa nimis, quæ mi bona tanta tulere.
At vereor, ne æstus tumulo qui flagrat ab imo,
Aestus, quem nostro suspiria pectore mittunt,
Protinus exsiccet lacrymosi flumina fontis.
Verùm ego primum hoc optarim, primúmque precarer,
Vt propter tumulum, nostros qui seruat amores,
Felicem ad tumulum, cinerem qui condit amatum,
Tristia deficerent lacrymosæ stamina vitæ.

FINIS.

MORS VNA DVOBVS.




Io. Francisci Lombardi de rota ad Rotam.

Cuncta trahit sursum rota vt impete, sic Rota nomen
Multa in secla tuum lucida ad astra leuat.

Registrum.

**† A B C D E F G H I K L M N O P Q R S.*

Omnes sunt Duerni.





Imprimatur. Petrus Dusina Vicarius gene. Neap.

Io. Franciscus Lombardus.

N E A P O L I.

Apud Iosephum Cacchium.

1 5 7 2.

